

10



G. 188

M. 2,9.



1.

PROF. H. E. FISCHER  
UNIVERSITÄT SINGAPORE

Dr. P. A. F. ...

BILLIS S. C. W. EDER

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..





AUSPICE DEO  
DE  
PRIVILEGIIS  
JURIBUSQUE SINGU-  
LARIBUS PERSONARUM  
ILLUSTRIMUM,

SUB PRÆSIDIO  
Dn. GABRIELIS SCHWEDERI,  
U. J. D. Placit. Feud. in Illustri Eberhardinâ  
Profess. Public.

*Publicè disputabit*

Christoph Dietrich Bosc / Eq. Misn.

IN COLLEGIO ILLUSTRIBUS,

Ad Diem 26. Octobr.

TUBINGÆ,

Typis Viduæ JOHANN-HENRICI REISL,  
ANNO MDC LXXXVI.



Vitam & omnia debeo,  
Pagellas hasce offero,

*non*

In solutum,

*Sed*

In Symbolum,

*Non*

Debiti liberati

*Sed*

Notati

*Accipe illas mi Pater*

**CHRISTOPHORE  
DIETERICE Bofe /**

Toparcha in Franckleben / Mölbis / &c.

Serenifs. Elect. Sax. à Consiliis Belli  
intimis,

*Præfes reddituum Camera ac rerum metallicarum*

Paterna Benevolentia,

*Benevolo affectu*

Certiozem enim Te reddunt

*Semper*

Mandata Tua impleviffe,

Studia coluiffe,

Ac in omnibus me præstitiffe,


*Ceu*

Filium tuum obsequiosissimum

Qui & in posterum

*Manebo.*

**AUTHOR,**





I. N. D. N. J. C.

## P R O O E M I U M.



lennium est & quod excurrit, ex quo, mecum altius perpendens, quod utique suas laurus habeat eruditio, suas hederas habeat Disputatio, quippe per quam inquiratur veritas, evolvantur abstrusa; hinc sit ignoti notificatio, hinc obscuri illustratio, hinc ambigui explicatio, hinc complicati enodatio, hinc incerti probatio, hinc ordinatio confusi, hinc contrarii refutatio; qua sine dum omnis in studiis peregrinatio aberratio, omnis cura secunda, omnis ratio irrita, cum nimis verum sit illud, quod Democritus apud Laërtium queritur: Veritatem in profundum demersam esse atque abstrusam, quæ illo medio extrahenda; in Alma Phylirea Dissertationem de Privilegiis ventilationi Partitionum Elementariarum Jurisprudentiæ Methodicæ Magni Jcti, Johannis Ottonis Taboris, sub Præsidio Nobilissimi atq; Amplissimi Dn. Andrea Mylii, U. J. D. & Inst. Imp. P. P. celeberrimi, à me institutæ, ubi pro Disputationum numero & adjecta Appendice Locamerianâ, septem vicibus Respondentis munus pro viribus sustinui, præmissi, publicique Juris feci; Intravit igitur nunc animum lubido, argumentum illud pro qualicunque genii, ingeniique captu prosequendi, ac de Privilegiis Illustrium in specie, loco Exercitii Academici,

impræsentiarum quædam proponendi, ac publicæ Com-  
 militonum συζητήσῃ subjiciendi, ità, ut primum inqui-  
 ram in Illustrium apud Romanos, Jure Justiniano con-  
 cessa, Privilegia & jura illorum singularia; post annectam  
 quoque, quæ his, qui hodiè in Republica nostra Roma-  
 no-Germanica sub titulo Illustrium veniunt, compe-  
 tunt ac tribuuntur.

## SECTIO I.

### CAPUT I.

# De Personis Illustribus in Imperio Romano Antiquo.

#### THESIS I.

**C**Um in prædicta anteriori Disputatione Privilegiorum  
 Definitionem, tum Nominalem, tum Realem, divisio-  
 nes item præcipuas, explicaverim, cæteras verò relative  
 indicaverim, ac differentiam inter Privilegia & Jus Sin-  
 gulare intercedentem notaverim, ea hîc, ne semel actum iterum  
 agam, repetere supersedeo, inquisiturus modò, quinam Illustrium  
 nomine apud Romanos venerint.

#### I I.

Constat Rempublicam Romanam, infantia sub septem Regi-  
 bus, Romulo, Numa Pompilio, Tullo Hostilio, Anco Martio,  
 Lucio Tarquinio Prisco, Servio Tullio, Tarquinio Superbo, qui  
 cum finitimis colluctati populis prima magni Imperii fundamen-  
 ta jecerunt, transactâ, adolescentiam suam, fugatis illis, fe-  
 liciter inchoasse, & primo bello Punico terminasse, quâ in  
 ætate, unâ cum priore præter propter 500. annos conficiente, Sta-  
 tu Aristocratico Democratiâ leviter permixto existente, immorta-  
 libus fortitudinis exemplis, ab Horatio, Mutio, Curtio, Manlio  
 Torquato, Valerio Corvino, Coriolano, Camillo, Decius, Curio,  
 Appio Claudio, Fabricio, Quinctio Cincinnato, Servilio, Papyrio  
 Curso.



Curfore, Posthumio, ac aliis, editis, & sæpius actis triumphis, inclaruit, naclaque est *duplices Magistratus Superiores*, qui eam prudentiã suã gubernarunt, *Ordinarios* nimirum, ad quos pertinuerunt Consules, Tribuni Militares, Præfecti Urbis, Quæstores, Prætores, Pro - Consules, Decemviri, Triumviri, & similes; & *Extraordinarios*, qui scilicet non ordinariè singulis annis, sed ex occasione & necessitate accidentali creati, & illã cessante, functione absolutã, iterum annullati fuere; quales Inter-Rex, Dictator, Magister Equitum &c. de quibus Rosinus, *lib. 7. Antiq. Roman. cap. 16. seqq.* Fenestella & Pomponius Lætus *de Magistratib. Roman.*

## I I I.

Magis lacertos movit inclyta Romanorum Respublica, in Juventute suã seu Virili ætate, à primo bello Punico ad Augustum Cæsarem usque 250. ferè annis iterum circumscriptã, quã, Statu Aristocratico - Democratico etiamnum contenta, victoricia sua arma per universum ferè Orbem circumtulit, in fine verò ad Monarchiam inclinans, in signum universalis pacis Templum Jani tertiã vice clausit. Excepit mox florentem hanc Juventutem ætas ingravescens, ab Augusti Successore Tiberio ad Gallienum usque excurrans, in qua à Statu illo, Aristocratico - Democratico nimirum, ad Monarchiam revoluta, vitæ tranquillioris otia sectari, & de virtute pristina remittere cœpit, Cæsarumque inertia (quia plerique ætatis hujus Imperatores magis portenta atque prodigiosa monstra, quàm veri Imperatores fuere, hincque Mimus apud Vopiscum *in Aurel. c. 42.* eos, qui omni numero boni fuerint, in uno annulo perscribi ac depingi posse dixit) paulatim quasi consenuit, atque decoxit, ut inquit Florus.

## I V.

Juvit illam degenerationem maximarum dignitatum in indignos & viles collatio, in quã ita Imperatores quidam excefferunt, ut eunuchis, servis & sceleratissimis Consulatum, qui sumus honor fuit, commiserint, imò Caligula cogitarit quoque Equum suum Consulem designare, referente Suetonio, *in ejus vita, c. 55.* nec diffidente Dionne *lib. 59.* Rationem quis facile conjecturari potest, quia nimirum animus ipsis fuit, Consulatum Senatusque auctoritatem ac potestatem imminuere, suam verò omnibus modis attollere; Licet ergò spe-

ciem quandam pristinæ dignitatis, ac potestatis illis reliquerint, de  
 iis, quæ ad Rempublicam pertinuerunt, cum illis consultando,  
 (sicut de religione, Sacris & Sacerdotibus in Senatu deliberatum  
 testatur Tacit. *IV. annal. 16. VI. annal. 12. XI. ann. 15.* Item de  
 condendis Juribus & LLbus Tacit. *XII. annal. 6.* ubi meminit *Le-  
 gis de nuptiis à fratrum liberis licitè contrahendis Senatûs autorita-  
 te late, quo Claudius Imperator Agrippinam licitè ducere posset I,  
 ann. 77. II. ann. 32. 33. III. ann. 55. 63. IV. ann. 14. 26. XII,  
 ann. 52. 53. 60. XII. ann. 4. 5. 26. 32. 41. 44. XV. ann. 19.* ubi  
 diversorum *Senatus Consultorum* tempore *Imp. factorum* mentionem  
 facit.) honores pro Amicis suis & benefactoribus ab ipsis peten-  
 do, ut à Nerone factum, iterum testatur laudatus Tacit. *XIII. an-  
 nal. 10.* Quin & aucta alicui suo modo videri posset Senatûs Au-  
 toritas ac Potestas sub Imperatoribus, cum è campo ad Patres  
 comitia translata à Tiberio *I. ann. 15. conf. Oratio Ottonis ad Mi-  
 lites suos, quorum tumultu in periculo erat, habita apud Tacit. I. hi-  
 stor. 84.* Attamen in rei veritate nullius momenti ea fuit, & sub  
 specie Autoritatis Senatui auctæ quasi in Republ. libera potesta-  
 tem sibi suam Imperatores magis magisque firmarunt. Ipsi enim  
 Principes Senatûs, & unà officium Tribunorum Plebis gerentes, nîl  
 passi sunt contra dignitatem & voluntatem suam statui ab eo-  
 dem. Hinc de rebus maximè arduis nihil, absente Cæsare, Se-  
 natores decernere, Consulesque exequi ausi sunt, teste Tacito *XIV,  
 ann. 49.* præsentem autem Principe *Senatus consulta* merè adula-  
 toria facta *I. ann. 7. 8. 11. 12. 14. III. ann. 56. 57.* multa quoque  
 ab Imperatoribus extorta, pleraque alicujus momenti, præviâ o-  
 ratione Principis in Senatu habitâ, condita sunt, ut adeò multi  
 honesti viri, sentientes inane Senatorum esse nomen, sine digni-  
 tate Senatoria vivere maluerint. *III. annal. 30. XVI. annal. 17.*  
 Callidè ergò Imperatores omnia munia *Senatus*, ordine Senato-  
 rio ad speciem salvo relicto, ad se traxerunt, adeoque potestatem  
 deliberandi de bello, pace, vectigalibus, legibus, omnibusque ad  
 τὸ κρείον pertinentibus, quæ libera Republ. *Senatus* propria erat,  
*XIII. ann. 41.* in se derivarunt, donec sub extrema Reipublicæ  
 Romanæ senectâ, Constantinus M. translata in Orientem sede  
 Imperatoriâ Byzantium, à se Constantinopolin ab instauratione  
 & am-

& ampliacione, ab aliis idèd novam Romam vel Neo-Romam appellatam (cui primum lapidem dederat Pausanias juxta Justinum *histor. IV.* & Curtium *I.* vel Byzem Megarensis, si fides Eustachio, vid. Tholos. *Syntagm. Jur. lib. 19. cap. 5.* Gylii *Bosphorus Thrac. lib. 1. pag. 9.* post verò à Severo in vici formam diruta. Herodian. *lib. 3.* sed per Constantinum M. majori reparata nitore, Orientalis Imperii lares tulit, nunc Orientis Sceptro ad Tartaram misso Turcis paret à Mahumede II. ann. 1452. expugnata, Leunclav. *Annalib. Turc. in Mahumede. II.*) omnem pristinam libertatem & imaginem, imò umbram etiam Veteris Reip. tolleret, omnem Senatùs dignitatem everteret, & eum Decurionum ordini similem redderet.

## V.

Cœperunt post hæc tempora omnes Dignitates, tam in potestate & honore, quàm in solo honore consistentes, (duplex hoc earum genus suggerit Anastasius *in l. ult. C. d. dignitat.* sub nomine *Potestatis*, quæ in majorem ac minorem iterum dividitur, & *honoraria dignitatis*) unicè ab Imperatorum dependere arbitriò, quique olim Magistratus tunc Judices appellati sunt, quorum alii fuere Civiles, qui Paganis, alii Militares, qui solis Militibus jus dixere. Civilium alii in Urbe, alii extra Urbem. Distinctæ etiam sunt dignitates quatuor potissimùm gradibus & titulis. Alii enim Illustres, alii Spectabiles, alii Clarissimi, alii Perfectissimi dicti sunt. Quamvis Imperatores pro arbitrio suo titulis his usi, sæpè Spectabilibus nominatis, qui Clarissimi erant.

## VI.

Inter Illustres autem primum locum obtinere Summa Patriciatus dignitate fulgentes, quâ hîc non intelligitur prærogativa illa apud Romanos, quæ opponebatur genti plebejæ; vid. Strauch. *Inst. Jur. publ. lib. 1. tit. 27. pr.* Sed singularis dignitas, sub Imp. Constantino M. teste Zosimo *lib. 2.* nata, inde descendens, quòd Imperatores quosdam ob summam eorum prudentiam sibi in Consiliarios legerent, & honoris ergò Patres appellarent, *l. ult. C. d. consulib.* Ad quam patris appellationem respiciens Claudianus Poëta in Eutropium Patricium, ademtâ dignitate

tate & publicatis bonis in Insulam Cyprum deportatum, lufit fe-  
quenti modo:

*Direptas quid plangis opes, quas natus habebit?*

*Non aliter poteris Principis esse Pater.*

indicaturus, Eutropium æquò animò novercantis fortunæ casum,  
bonorumque suorum publicationem ferre debere, quia ea sic ob-  
venerint illi, qui filii loco ei fuerit, cujusque ipse Parens sit appel-  
latus. Vinn. ad §. 4. Inst. quib. mod. patr. potest solv.

### VII.

Dignitas hæc Patriciatus tanta fuit, ut nemini ad eam aspi-  
rare licuerit, nisi prius aut Consulari honore fuisset potitus, aut  
Præfecturæ Prætorio (Orientis vel Illyrici) vel Urbis administra-  
tionem gessisset; aut Magistri Militum, vel Magistri Officiorum  
munere actu defunctus (non honorarius tantum) fuisset, l. 3. C.  
d. Consulib. Hinc & Super-Illustres Patricii hi sunt dicti; Quan-  
quàm Consulibus, quam diu præfuerunt, cessisse Patricios, innuat  
Cassiodorus, verbis: *Præfectorios, aliarumque dignitatum Viros  
præcedit (Patricius) uni tantum cedens fulgori, quem interdum à no-  
bis constat assumi; & à Gratiano Consulatus omnibus fastigiis di-  
gnitatum præponatur, l. un. C. Theodos. d. Consulib.* Sed mirum  
non est, diversis temporibus, prout animati fuerunt Imperatores,  
ita & gradus dignitatum immutatos fuisse. Sanè Zeno in d. l. 3.  
C. d. Consulib. Consulatus dignitatem Patriciatus præposuit, &  
in §. 4. Inst. quib. mod. patr. pot. solv. Patriciatus dignitas summa  
vocatur, Consularique pariter præfertur. Quod autem Zeno in  
in d. l. 3. constituit, suò modò iterum mutavit Justinianus in Nov.  
62. c. 1. §. 2. hunc dignitatum ordinem faciens, ut, quando Se-  
natus agitur, Præfectus Urbi (Holoander legit *Præfectus simpli-  
citer*) præ omnibus aliis sedeat, hunc excipiant reliqui Patricii,  
Consules & Consularibus Insignibus decorati, secundum Consu-  
larem ordinem & prærogativas Consulatus sui, ita tamen, ut or-  
dinarii Consulares anteponantur honorariis, post hos tandem  
Præfecti & militum Magistri, cæterique Viri Illustres sedem suam  
capiant. Causa quare Imperator Præfecto Urbi in Senatu tri-  
buerit primam sedem, fortasse hæc fuit: quod, ut testatur Cassio-  
dor,

dor. *lib. 6. c. 4.* præsideret universo Senatui, & primo loco sententiæ dicendæ Jus haberet.

## VIII.

Secundò, Illustri Dignitate & Consules (penes quos in libera Republ. Suprema Potestas erat, fungebanturque munere Regum ac Imperatorû, ut & hinc Andr. Dom. Flocc. *de Potest. Rom. lib. 2. c. 7.* Consularem potestatem Regiæ potestatis exemplo accersitam fuisse scribat,) gavidos esse, ex dictis quodammodo jam liquet. Mansit his, demta quoque potestate, diu adhuc sua dignitas, ut super. Illustribus etiam longè post tempora Constantini M. annumerati fuerint; quin Imperatores ipsi sæpius quoque Consulatum subiêre, tanquàm munus singulari dignitate gaudens. Mansit itidem mos numerandi ab his annos tempore Imperatorum Christianorum usque ad annum post Christum natum 541. quo ultimus Consulatum ex Civibus electus fuit; ab eò enim tempore Imperatores aliquot Consulatum prioris Imperii sui annò assumserunt, & sequentes deinde Imperii anni ab hoc dinumerati sunt. Fuêre firmata jam Monarchia etiam honorarii Consules, quos Zeno *l. 4. d. Consulib.* Consulares vocat, cum aliàs Consulares dicerentur, qui Consulatum gesserant. His autem ordinarii præferebantur, cum aliàs inter Consulares velut æquales ità observaretur, ut, qui prior tempore esset, reliquos præcederet, licet honor in his sæpius repetitus, *l. 1. C. eod.* Cæterum nihil singulare de his, horumque officio posterioribus temporibus præcipitur, (nihil enim gerendum habebant,) nisi quod Martianus statuerit, ut ii, qui Consules fieri cuperent, nihil æris in populum spargerent, sed statutam pecuniam ad reparandum Urbis aquæ ductum dependerent. *l. 2. C. d. Consulib.* Scilicet Imperatores dignitati Consulatum quotidie detrahebant, donec tandem nihil iisdem superesset.

## IX.

Tertiò Illustribus in Legibus Romanis annumerantur Præfecti Urbi & Præfecti Prætorio dignitate parcs. Ex quibus illi curam ac tutelam Urbis, terminorumque ejus, non continentibus modò, sed centesimo ab Urbe lapide definitorum, à Principe de-

B

man-

mandatam habuere. Hi à loco in Castris, ubi Imperator commorabatur, ita dicti, ad similitudinem Magistrorum Equitum, quos Dictatores in liberâ Republ. sibi eligebant, ut secundam post eos in milites potestatem gererent, ab Imperatoribus electi sunt, data eis pleniore Jurisdictione in Prætorianos milites, ad disciplinæ publicæ conservationem & emendationem, Andr. Dom. Flocc. *d. Potest. Rom. lib. 2. cap. 9.* De illius Magistratus origine & progressu pulchrè differit Tacitus *VI. ann. 11.* inueniens eundem non annum modo, sed perpetuum fuisse, proinde in gerentibus illum singularem requisitam prudentiam, à qua Pisonem imprimis laudat, qui ipsum per viginti annos tam benè gesserit, ut publico funere eapropter ex decreto Senatûs celebratus sit. Aucta autem est temporis successu ejusdem potestas. Nam in Urbe primus fuit ab Imperatore Præfectus Urbi, imò Imperatore absente velut alter Cæsar imperavit, & Senatui universo præsedidit, primusque, velut Præses Senatus, sententiæ dicendæ jus habuit. Quam ob causam dicitur *l. 3. C. d. Offic. Præfect. Urb.* quod Præfectura Urbis cunctis, quæ intra urbem sunt, antecellat dignitatibus. Omnia corporatorum, quæ Constantinopoli fuere, genera, universosque Cives moderamine suò rexit. *l. 4. C. d. t. Cives seditiosos, qui in Provincias confugerunt, inde evocandi potestatem habuit. l. 2. C. d. t.* Nec modò in Cives plebejos, verùm etiam in Senatores Jurisdictionem exercuit, adhibitò quinque virali judiciò. Cassiodor. *lib. 4. cap. 22.* pertinuit quoque ad ipsum quies Civitatis Constantinopolitanæ, quam ob rem ipsi, velut Custodi quietis, ministerium præbere oportuit Milites Stationarios, eorumque Primicerium. *l. ult. C. d. t.* Spectavit porrò ad eum cura annonæ, cura termarum, cura rerum venalium, cura spectaculorum &c. Cujac. *C. d. t.* Andr. Dominic. Flocc. *d. potest. Roman. lib. 2. c. 6.*

## X.

Similiter Præfectorum Prætorio Potestas successu temporis crevit & extensa est. Nam cum initio ipsimet Imperatores se, velut Duces adhuc exercitus, hujus curam tantùm habituros simularent, & Jurisdictio illorum ad Prætorianos saltem milites

re-

reſtriſta fuit, nec ulterius pertingere potuit; auctâ verò Imperatorum poteſtate, etiam Præfeſti Prætorio in omnibus tam Civilibus, quàm Criminalibus cauſis judicare cœperunt, & quidem ſine licentia appellandi ad Imperatores, ceu quorum perſonam in judicando ipſi repræſentarunt *l. un. C. d. ſent. præf. præt.* Cum extenſâ poteſtate aucta quoque eorundem dignitas, addidit enim iis, primò, Alexander Severus, teſte Lampridio, dignitatem Senatoriam, mox Hadrianus etiam Conſularem, Spartiano teſte, ſicque ex officio militari factum eſt temporis ſucceſſu Civile ab Imperatore ſummum. Præſuere enim hi Præfeſti Judicibus Provinciærum ſingularum, & maximam poſt Imperatorem habuere poteſtatem. Competiit ipſis facultas Judices & Rectores Provinciærum ob negligentiam, aliæque admiſſa, pro arbitrio puniendi, & pro rei exigentia planè deſtituendi, aliis ſurrogatis, *l. 3. 4. C. d. offic. Præf. Præt. orient.* Potuere & Leges condere ab omnibus ſervandas, modò non eſſent Conſtitutionibus Imperialibus contrariæ, aut ab his diverſum poſteà ab Imperatore ſancitum, *l. 2. C. eod.* Ab ipſorum ſententiis, quas per Præconem vel Miniſtrum publicare potuere, *l. 2. C. d. ſentent. ex peric. recitand.* non patuit ulterior appellatio; ſed tantùm ſupplicatio conceſſa fuit *l. un. C. d. ſentent. præf. Præt. l. 5. C. d. precib. Imperat. offerend.* mulctam ad quinquaginta libras auri dixere *l. 4. C. d. modo mulct.* Si qui velut indebitis oneribus gravati ſupplicarunt Principi, reſcripta Principis ad Præfeſtos Prætorio directæ fuere *l. 5. C. d. offic. præf. præt. orient.* juſſiones quoque, quæ emanarunt à Principibus ad Rectores Provinciærum de cauſis publicis, robur nullum habuere, antequàm Præfeſtis Prætorio inſinuatæ fuere, *Nov. 152. pr. & c. 1.* habuerunt etiam quoq; merum Imperium & poteſtatem animadvertendi in facinorofos, primaque eorum ante univerſos fuit ſedes, *l. ult. C. d. offic. præf. præt. orient.*

## X I.

Initio Monarchiæ autem unus tantùm fuit Præfeſtus Prætorio, Conſtantine M. deinde quatuor conſtituit, duos in Oriente, nimirum Præfeſtum Prætorio Orientis & Illyrici, duos in Occidente, Italiæ ſcilicet & Galliarum, ex his quas quiſque rexit Provincias, in tabellâ repræſentavit Micrælius *Syntagm. Hiſt.*

*Polit. univers. lib. 2. sect. 3. q. 16. p. 344. & Jac. Guth. l. 2. c. 6. de Offic. domus Augustæ.* Postquam verò solus Oriens superesset, cæteris partibus Imperii Romani per Barbaros devastatis & avulsis, duo modò remanserunt, quibus Justinianus, cùm Africam Imperio rursus adjecisset, tertium iterum addidit.

## XII.

Cum Præfectis Prætorio & Urbi IV. æqualis ferè dignitatis fuere Magistri Militum, *l. 1. 2. C. d. præfect. prator.* nam quod initio Monarchiæ erant Præfecti Prætorio, hoc à Constantino M. facti sunt Magistri Militum, solà Præfectis Prætorio Civili disciplinâ relicta. Unde, quæ potestas competiit Præfectis Prætorio, in Rectores Provinciarum & Paganos, eadem competiit Magistris Militum in Milites & in Duces sive Comites Militares *l. pen. C. d. Judic.* in Provinciales verò nullam ipsi penitus potestatem habuerunt *l. 1. C. d. Offic. Magistri milit.* Ut autem initio penes unum Magistrum Militum omnis potestas fuit, ita postea vergente ad interitum Imperiò dividi eadem cœpit, ut alii Equitum, alii Peditum Magistri fuerint.

## XIII.

Illustribus porrò V. etiam Quæstores annumerati sunt, qui primum infimumque honorum gradum olim habuere. Eorum autem duos constitutos reperimus *Nov. 41.* alterum Quæstorem Sacri Palatii, alterum Quæstorem Exercitûs. Illius functio correspondit propemodum hodierno Cancellariorum muneri. Nam totius laterculi minoris curam gessit, Codicesque in quibus descripta fuere officia & administrationes tam Civilium, quàm Militarium Judicum asservavit, Libris, Epistolis, Orationibus Principum legendis ac recitandis vacavit, *l. 1. C. d. Offic. Quæstor.* Rescripta Principis dictavit, *l. ult. ff. d. divers. rescript.* Jussa ejusdem ad Judices subscripsit, sine cujus subjunctâ annotatione quoque eadem agnoscere ipsis interdictum fuit *Nov. 114. c. 1.* qua de causa Symmachus eum vocat Precum Arbitrum & Legum Conditorem, aliis dictus est Os Principis & Vox Legum, omnis consilii & legum Promptuarium, item Justitiæ & Legum Custos, Thesaurus famæ publicæ.  
Et



Et inde patescit, quomodo Quæstoria hæc dignitas à parvo initio, quod nimirum tantum rescripta Principis in Senatu legerent Quæstores, ad tantum ascenderit fastigium, ut successu temporis iidem non modò legerint; sed ipsi etiam composuerint Orationes, Epistolas, Leges, Principum vice & nomine. Quæstoris autem Exercitûs munus fuit, annonas per castra distribuere, *d. Nov. 41. ibi Scharschmid.*

## XIV.

Quæstoribus par aut paulo Superior dignitate fuit Magister Officiorum. Ex Quæstore enim plerumque Magister Officiorum factus, vel utroque munere idem simul functus est, & quidem communiter JurisConsultus, *Cassiodor. lib. 6. form. 6.* Pertinuit autem ad Magistrum Officiorum disciplina & cura morum in Palatio Principis, fuitque Judex Officiorum Aulicorum, ut adèò sub Jurisdictione ipsius fuerint Cubicularii, Castrensiani & Ministeriani, Silentarii, &c. *l. 3. C. d. Præpos. sacri cubic.* Paravit & ipse Principem salutaturis aditum ad illum, inde alter Lucifer appellatus, quod, quemadmodum Lucifer diem venturum nunciet, ità ipse desiderantibus vultum Regiæ Serenitatis daret. Cursui publico quoque ipsum Præfectum fuisse legimus *l. 9. C. d. cursu publ.* Moribus nostris ei similis est in Aula Augustissimi Imperatoris Supremus Aulæ Mareschallus, post Supremum Aulæ Magistrum à Cæsare proximus, qui in Aulâ Imperatoriâ Jurisdictionem habet non modò in omnes Aulicos & Ministros; sed & in Exteros, & omnium Imperii Ordinum in Aulâ Cæsareâ versantes Agentes, Pro-Legatos seu Residentes, Legatos, Deputatos, Sollicitantes, &c. juxta *Strauchium Instit. Jur. publ. lib. 1. tit. 22. §. 2.* Sed Agentes Ordinarios Judicii Aulici, item Pro-Legatos, Deputatos, Sollicitatores, similesque Personas ad Processus in Aulico Judicio extrahendos, dirigendos, promovendos, aliaque negotia in summò illò Judiciò expedienda, principaliter missas, à Mareschalli Jurisdictione exemptas unicè Inclyto illi Judicio subesse tradit *B. Dn. Joh. Christoph. ab Elfenbach. d. Judic. Aulic. c. 7. sect. 2. subsect. 2. pag. 51. sect. 3. in fin. pag. 60. & cap. 10. pag. 92.*

## X V.

Illustrium in numero ulterius etiam fuit Præfectus Sacri Cubiculi, cujus dignitas adæquata fuit Urbicæ & Prætorianæ Præfecturæ Magisteriæque potestati, ita ut inter eos esset. Ordo tantum ratione temporis, qui inter æquales dignitate observari solet *l. 1. C. d. prapof. sacri cubic.* Fuit autem alius Augusti, alius Augustæ cubiculo præfectus *l. ult. C. d. t.* quorum Officium non fuit perpetuum, ut *ex d. l.* patet; sub eorum dispositione, non tamen Jurisdictione, fuere Cubicularii omnes, tam primi, quam secundi ordinis. Data quoque his fuit licentia utendi cingulo, si ob aliquam causam proficiscerentur, *d. l. ult. d. t.* Habet etiamnum hodiè Aula S.C.M. Supremum Sacri Cubiculi Præfectum, cui subsunt duodecim Cubicularii seu Camerarii, **Cammer: Herren** / Ille Oratores Regios, Legatos & alios Principes, Dominos ac Equites ad audientiam adducit, literas fiduciaras **Credens: Schreiben** / ab Agentibus & sollicitantibus, tam exterorum Magnatum, quam Imperii Principum, aliorumque aulam visentium accipiens Cæsari tradit, & audientiæ tempus per Cubiculi portitorem quendam significat. Noctu ante cubiculum Cæsaris præstolatur, deauratam clavem cubiculariam, ut & reliqui Cubicularii, holosericæ nigrae vidulo appensam gestat, referente Strauchio. *d. l. num. 3.* ubi plura vide.

## X V I.

Tandem ex numero Comitum (qui inde dicti sunt, quod Principes in Provincias ituri eos sibi Comites sumerent, qui ipsis in publicis negotiis assisterent, in quibus eligendis præcipuus fuit Hadrianus Imperator, qui hinc inde peregrinatus Comites habuit, secum Jurisconsultos peritissimos, quorum Consiliis Imperium administravit. Tandem verò porrectum est hoc nomen ad omnes, qui alicui Principis negotio præpositi fuere) *Illustribus* annumerati sunt Comites Sacrarum Largitionum, rerum privatarum & Sacri Patrimonii. Comes autem Sacrarum Largitionum dictus est is, cui commissi fuerunt thesauri Principis, hos enim largitiones vocarunt, quasi pecuniæ Principis largitionibus faciendis destinatæ essent, non avaritiæ causa sepositæ. Officium ejus constitit in hoc, ut pecunias à Judicibus Provincialibus  
missas

missas reciperet & ærarium referret. Comes rerum privatarū fuit, cui propria substantia sive Patrimonium Principis fuit commissum, hic curam habuit bonorum Principis, quæ ad heredem ejus, etiam si hic non fuisset Successor Imperii, transtulisset. Comes Sacri Patrimonii videtur quidem etiam circa privata Imperatoris bona occupatus, diversum tamen à Comite rerum privatarum gessisse officium. Nam Comes Sacri Patrimonii curam penus apparatusque habuisse, & epulas disposuisse videtur Cujacio.

## CAPUT II.

*De*

# Privilegiis & Juribus dictarum Personarum Illustrium.

I.

**V**isis sic Personis, quæ apud Romanos Illustrium nomine venerunt, nunc lustrabimus iis, intuitu dignitatis suæ, concessa Privilegia & singularia, quibus gaudent, Jura in illorum favorem lata, & in Corpore Juris Justiniani hinc inde dispersa. Horum quædam respiciunt statum Personarum, quædam versantur circa Jus rerum ab ipsis acquirendarum vel possessarum; quædam actiones ab ipsis vel movendas vel suscipiendas.

II.

Primum autem Summæ Patriciatus Dignitati, & ei quidem soli ab initio, datum fuit, ut liberaret à Potestate Patria §. 1. *Inst. quib. mod. patr. potest. solv. ne*, qui ab Imperatoribus loco Patris honorarentur, alieno Juri subiecti cum Majestatis Imperialis immunitione à nutu & Imperio alterius dependerent, & illo Reipublicæ usibus pro lubitu subtraherentur *l. ult. C. d. consulib. contra Juris Veteris rationem*, qua nulla, tametsi summa, dignitas Patriam Potestatem solvebat, quia habebatur pro Jure familiæ privato *l. 3. l. 4. ff. d. capit. min.* à Jure publico separato. Unde licet filius cum Imperio existens in causis publicis pro Patrefamiliâs haberetur *l. 9. ff. d. his qui sui vel al. jur. l. 14. ff. ad S& Trebell.* in iis tamen, quæ ad familiam pertinebant, ut filiusfam. considerabatur

tur

tur & tractabatur. Factum hinc, quod Parentes Filios Magistratu functos & ad populum Concionem habentes ex rostris abduxerint, inque eos vitæ & necis Jus, quod ipsis ex Lege Romuli competiit, exercuerint, Halicarnassæo teste, cujus verba adducit Hottomann. *ad d. §. 4.* Extensum postmodum id Jus Patriciatui primò indultum à Justiniano, qui *d. l. ult.* auctor fuit, ad reliquas Illustres dignitates, Consulatum nempe, Consularitatem, Præfecturam Prætorianam, Præfecturam Urbis in actu constitutam, codicillari oppositam, Magisterium Militum, imò in genere ad omne cingulum, hoc est, dignitatem quamvis à curia liberantem per *Nov. § 1. junct. l. ult. C. d. decurionib.*

## I I I.

Secundò, respectu dignitatis suæ, Illustres olim non minus, sed imò magis, quàm alii minori etiam dignitate conspicui, humiles & abjectas fœminas sibi matrimonio jungere prohibebantur, quemadmodum ex diverso viri humiles ex Illustribus & Clarissimis ortas fœminas uxores ducere vetabantur *l. 16. pr. l. 23. 27. 34. §. fin. l. 42. §. 1. l. 43. §. 10. l. 44. 47. 49. d. rit. nuptiar. l. 3. C. eod. l. 7. C. d. incest. nupt. l. 1. C. d. natural. liber.* Jure Novissimo autem prohibitio hæc sublata, concessa dignioribus facultate mulieres humiles pro lubitu ducendi *d. l. 23. Nov. § 1. 78. c. 3. Nov. § 9. c. ult. Nov. 117. c. 6.* ad excludendam verò fraudem, quæ hinc sæpè commissa in probatione matrimonii, quod cum concubina secutum, sæpè testes afferuerunt, cum forè virum magis amoris furore, quàm maritali affectu, concubinam Dominam vocasse audiverant, Justinianus definivit *Nov. 74. c. 4.* ut si qui in Illustri ac alia majori dignitate constituti, eas, quas hæctenus pro concubinis habuerunt, maritali affectione in legitimas ducant uxores, omninò & dotem & ante nuptialem donationem invicem cum instrumentis desuper faciant: Reliquis verò sit in arbitrio, vel sine nuptialibus documentis concubinam sibi honestè jungere, modò honestiores iis non confectis adeant Ecclesiæ defensorem, & coram eo exponant, matrimonium legitimè initum: Defensor autem desuper conficiat attestationem coràm tribus vel pluribus Clericis testium loco adhibitis, qui item illud subscriptione suâ significant, *d. Nov. 74. c. 4. §. 1.* quam attestationis per defensorem scribendæ necessi-

necessitarem remisit Imperator in abjecta sorte degentibus v. gr. agricolis, milibus caligatis, h. e. vilioribus & obscurioribus, concessa ipsis simpliciter sine scripto nuptias cum concubinis suis celebrandi facultate *d. c. 4. §. 3.* quam libertatem per *Nov. 117. c. 4.* quoque reliqui omnes, qui infra Illustres, obtinuerunt, sic, ut vel cum, vel sine dotalibus pactis, solo affectu, nuptias contrahere possint, in dignitatibus verò positi usque ad Illustres denuò ad Instrumenta dotalia in nuptiis conficienda adstricti, nisi ante dignitatem quæsitam, vel à barbaris licet in ista dignitate constitutis, nuptiæ contractæ *d. c. 4. Scharfchmid. ad Nov. Exerc. 13. §. 19. v. 20. 21. Ex. 19. §. 11.*

## I V.

Ratione Tutelæ Liberos Illustrum constitutum est, ut Pupillis, Illustribus & Clarissimis Parentibus natis, deficientibus tutoribus testamentariis & legitimis, in urbe ex quocunque ordine Senatorio vel Equestri ab Illustri Præfecto Urbi, adhibitis in consilium X. Senatoribus, Tutores dentur; in Provinciis autem perinde Clarissimis à Præsidibus decreto Decurionum, periculo ipsorum hætenus, ut subsidiaria conveniri possent aetione, Tutores constituerentur; designarentur verò tantum, qui Curia Civitatis suæ non obstricti *l. 1. l. 2. C. d. tutor. vel cur. Illustr.* Cum illorum, qui Curia Patriæ suæ muneribus obstricti, bona Curia obligata *l. 8. §. auth. seq. C. d. Episcop.* sicque iis datis, Pupillis Illustribus non satis prospectum esset. Montanus. *de Tutel. c. 23.* De cætero eadem Jura, quæ in aliis pupillis & tutoribus constituta, in Illustribus etiam valuerunt Brunnemann. *ad l. 1. C. d. t. in fin.* Proinde Tutores hi, de quibus nobis sermo est, æquè rationibus adstricti fuere, & ratione administrationis, iudicio tutelæ conveniri potuerunt, atque cæteri Tutores Curatoresvè, neque ipsis licuit bona pupillorum Illustrum, sine præviâ causæ cognitione & Supremi Judicis Decreto, quovis modo alienare & distrahere, aut pro lubitu donare, sed permiffum saltem iis eam exercere liberalitatem & solennia proximis mittere munera, quæ mitti consuevere. *l. 12. §. 3. ff. d. administr. tutel.* Perez. *ad tit. C. d. tutor. & Curat. Illustr.* finita queq; est tutela & cura in Illustribus Pupillis & Adolescentibus eodem an-

C

norum

norum numero aliisque modis, quibus in aliis pupillis & adolescentibus expiravit.

## V.

Quartò, procul dubio Illustris hæc dignitas cum potestate conjuncta eâ gaudentibus immunitatem & excusationem, tam à suscepta, quam suscipienda tutela inferioris ordinis pupillorum, similibusque muneribus, tribuit. *arg. l. 12. l. 13. l. 17. C. d. excusationib. §. 4. Inst. d. excusat. tutor. l. 6. §. 14. seqq. l. 17. §. 5. l. 23. l. 30. pr. l. 41. §. 1. ff. eod. rectè;* non enim magis, quam par est, gravandi muneribus personalibus ad utilitatem privatorum primario tendentibus, qui majoribus funguntur honoribus, & omni studio Reipublicæ utilitati continuò invigilant. *l. 2. C. quemadm. Civil. mun. jud. l. 10. ff. d. munerib. cum & aliàs Jura adeò nolint Cives supra modum oneribus gravari, ut nec defensione civitatis functus denuò extra casum necessitatis eam suscipere cogatur. l. 16. ff. ad municip. nec qui muneribus aliis functi sunt, denuò his onerari debeant, si sint alii idonei. l. 3. C. quemadm. civ. mun. jud. Quin ab honore quoque ad eundem honorem quinquennii, ad alium triennii, à legatione biennii vacationem concedant. l. 2. C. d. munerib. quia iniquum censent uni continuè injungi munera, vel eadem sæpius, aut plura diversa, eodem tempore, si sint alii, qui idoneè gerere possint. Ratione susceptorum munerum Illustris hoc habuerunt Privilegium, ut per substitutos, periculo tamen suarum facultatum, satisfacere potuerint, cum cæteroquin nullus publicas functiones per aliam personam implere valuerit. l. 60. C. de Decur.*

## VI.

Circa res, quæ vitæ humanæ, quasi instrumenta quædam, inserviunt, earumque acquisitionem per donationem, ceu modum acquirendi Juris Civilis singularem, in Magistris Militum hoc occurrit privum Jus à Glorios. Imperatore Justiniano in *l. 36. §. 1. C. d. donat.* constitutum, quod si ipsi in benè meritos milites, vel ex propriis suis bonis, vel ex bonis hostium, donationem fecerint, ea valere debeat absque insinuatione, utcunque excedat 500. solidos; cum contra donatio à privatis facta summam illam 500. solidorum excedens, pro eâ nimirum parte, quâ quantitatem istam legitimam excedit, regulariter inutilis & invalida sit, si non judicia-

liter

liter insinuata fuerit per l. 34. l. pen. § ult. C. d. donat. §. 2. Inst. eod. Quæ Constitutiones, cum pro bono publico, (cujus utique interest, fraudes, quæ in immensis donationibus facile committi possunt, præcaveri, & prospicere, ne quis temerè patrimonium suum effusis largitionibus exhauriat, & ne egenis civibus respubl. oneretur, quod contingere posset, si homines, aut fraude decepti, aut justo metu inducti, aut temerè & sine circumspectione magnas opes profunderent,) latæ sint, in foro conscientia hætenus tenent, ut donator licitè & sine peccato excessum, nulliter quippe donatum, ob omissam formam, quam velut essentialia requisitum addere potuit Jus Civile, revocare queat. Molina d. Just. & Jur. tom. 2. tract. 2. Disp. 278. §. 26. 27. Lessius de J. & J. lib. 2. c. 18. dub. 13. n. 9. Joh. Valerus, Valent. Segobrig. Decret. Doct. Prior domus Carthusiæ Majoricens. in different. utriusq; Fori. Voc. donatio. differ. 8.

## V I I.

In acquirenda rerum universitate per successionem ab intestato Lex 12. Tabb. Jus capiendæ hereditatis tam arctis inclusit cancellis, ut illud intra matrem & filium filiamve ultrò citròque planè non admiserit. Prætores igitur hanc Legis 12. Tabb. duritiem aliquo modo emollituri, eos saltem post omnes agnatos ad mutuam successionem, bonorum possessione in ordine cognatorum ipsis data, vocavere. Postea verò illæ Legis 12. tabb. angustia ipsomet Jure Civili ce to modo emendatæ sunt, primò, Constitutione Claudii Imperatoris, Matrem in solatium liberorum bello amissorum ad legitimam eorum hæreditatem admittentis, deinde Senatus Cons. Tertulliano, sub Consulatu Tertullii, temporibus M. Antonini Pii, ab Hadriano adoptati, & inde quoque Hadriani dicti, factò, quò de successione Matri, non Avia, in bonis liberorum deferenda ita cautum, ut ingenua trium liberorum Jus habens, Libertina quatuor, ad bona filiorum filiarumve intestato mortuorum admitteretur §. 1. 2. Inst. d. Sæ. Tertullian. Quod Jus à Justiniano l. ult. C. d. Jurib. liberor. postmodum latius extensum fuit, datumque in defectu descendentiæ Matri Jus successio- nis legitimæ, licet Ingenua ter, vel Libertina quater non enixa. Cumq; Sæ. Tertullianum hoc beneficio feminas ut liberorum pro-

creationi & educationi operam darent, excitare vellet, Justinianus  
 iis simpliciter successionem deberi ratus, matrum Jus sic adauxit,  
 ut successionem legitimam in bonis liberorum ipsis simpliciter sine  
 ullo partus editi respectu assignaverit, anteponeas eas omnibus  
 agnatis, sine ulla partis deminutione, exceptis fratribus & sorori-  
 bus defuncti, etiam unilateribus. §. 5. *Inst. d. Sct. Tertull. l. ult. C.*  
*eod.* Cui per *Novellam. 118. c. 2.* haftenus iterum derogavit, ut Ger-  
 manos tantum cum matre, ceterisque per utrumque genus ascen-  
 dentibus, ex æquis partibus admiserit.

## V I I I.

Per contrarium quoque Liberi ad bona Matrum intestatarum  
 admissi sunt ex Scto Orphitiano, quod Orphitio & Velio Rufo  
 Cons. M. Antonini Philosophi & Comodi temporibus factum,  
 dataque est tam filiis quam filiabus, etiam alieno Juri subjectis, le-  
 gitima matris hereditas, exclusis omnibus defunctæ matris  
 Consanguineis & Agnatis. Verum cum Sctum hoc substitisset in  
 Liberis primi gradus, id Constitutionibus Imperialibus emenda-  
 tum est, vocatis etiam ad similitudinem filiorum filiarumvè Ne-  
 potibus atque Neptibus ad Legitimam Avix suæ successionem, *l.*  
*4. C. Theodos. d. legit. hered.* Sicut autem ex Scto. Tertull. admissa  
 mater ad successionem in bonis Liberorum vulgò quæditorum &  
 Spuriorum, ita vicissim & liberis vulgò quæditis ac spuris Sct. Orphi-  
 tiano reclusus est aditus ad maternam hereditatem, concessumque  
 ipsis Jus successionis, non modò si soli sint, sed & si cum aliis legiti-  
 mè natis, sive ex justo matrimonio procreatis liberis concurrant,  
 §. 3. *Inst. d. Sct. Orphit. ibi Ddr. l. 1. §. 2. ff. eod. l. 2. l. 8. unde cognati.*  
*Richter. tr. d. success. ab intest. sect. 1. membr. 3. n. 6.* nisi Mater  
 sit Illustris; Huic enim Spurii (non Naturales, hi enim & matri Il-  
 lustris unà cum Liberis legitimis æqualiter succedunt. *l. 5. C. d. Sct.*  
*Orphit. Schulz. Synopsi Instit. lib. 3. rubr. d. success. liberor. natural.*  
*tantum. Chassan. Catal. gloria mundi, part. 7. considerat. 3. §. 7.*  
*Dissent. Christin. Vol. 4. Decis. 61. n. 5.)* haud aliter eni Constitutione  
 Justiniani ab intest. succedunt, ac ne quidem ex testamento vel do-  
 natione ejus quacunq̃ue quid capere & acquirere possunt, quàm si le-  
 gitima deficit soboles, ne stirpis claritudo ista labe & memoria  
 maternæ infamiæ dedecoretur *l. 5. C. d. t.* Satis enim indignum &  
 acer-



acerbum est in Familiis Illustribus nominare spurios. Bartol. & Salycet. *in d. l. 5.* Quod ad matrem Nobilem haud extendendum, sed ad illius successionem Spurii perindè, ut legitimi, & cum legitimis, omninò admittendi, *Mev. part. 2. decis. 8.* Brunn. *ad l. 4. ff. unde cognati.* Nisi eo per Statuta alicubi extensio expressè fuerit facta, uti in Frisiae Orientalis Jure Provinciali *libr. 2. rubr. wo de unöchte Kinder mögen erf genahm syn / tho all öbrer Moder gütter /* contigit.

## I X.

Non perinde inter Patrem plebejum etiam & Spurios, Jus mutuae successionis, legitimæ nimirum, esse in vulgus notum est. Extendunt quidem nonnulli quoque id ipsum ad successionem testamentariam, & nec testamentò à Patre institutos spurios quicquam capere posse ajunt *Didac. Covarruv. p. 2. d. success. c. 8. Vasq. lib. 3. controuv. Illustr. c. 101. n. 8.* quin relicta ipsis à Patre testamento pro non scriptis haberi, eumque, qui fidem defuncto accommodat, de hereditate spurio restituenda, velut indignum hereditate privari voluit *Mantic. lib. 16. d. Conj. ult. Vol. c. 4.* Ast rectè ab hac sententiâ recessit *Gabr. Palæott. d. Spuriis. c. 40. Heig. ad §. 3. Inst. d. Sæ. Orphit.* tum, quòd Justinianus eos saltem arceat à successione legitima, & à testamentaria simul tantum ex damnato coitu susceptos, tum, quòd quoad successionem testamentariam deficiat ratio negatæ successionis, quòd nimirum Pater sit incertus, quippe qui instituendo filium se pro Patre gerit, & satis certus existit, tum, quòd successio testamentaria non fiat Jure filiationis, sed nudâ voluntate hominis, qui extraneum planè instituere potest. In quam sententiam consuluit *Aymo Cravetta Vol. 1. Cons. 166. n. 11.* & pronunciavit *Scabinatus Jenensis Mens. August. 1617. teste Franzk. ad Inst. lib. 3. c. 8. n. 12.* qui tamen assertionem hanc ad casum non extantium aliorum liberorum restringendam monet, aliàs eos vix in una uncia, aut si Parentes sint in medio, vix in besse rectè institui posse, arbitratus, ne plus Juris concedatur Spuriis, quàm naturalibus liberis, qui ità saltem institui queunt. *Nov. 89. c. 12.*

## X.

Ne usurarum tabes civium egenorum facultates depauperetur, Justinianus Imp. super earum quantitate generalem sanctionem fa-

cere necessarium duxit, & gravissimam molem ad mediocritatem, consideratâ personarum conditione & negotiorum qualitate, deduxit, ita, ut in pecunia trajectitia centesimas h. e. pro C. quotannis XII.; negotiationem autem terrenam exercentibus bessales h. e. VIII. in singulos annos pro C.; cæteris mercaturam non sequentibus in communi ferè semisses h. e. VI. quotannis in C. stipulari permiserit, exceptis Illustribus, quibus non nisi trientes h. e. IV. in C. concessit. *l. 26. C. de usur.* Sed hodie novissimo Imp. jure Generali ferè omnes usuræ & pensiones ad quincunces redactæ sunt. *R. J. de A. 1548. tit. von wucherl. Contracten.* Quod novissimo *Rec. Imp. de anno 1654. §. Unreichend die fünffte Zins 2c.* ita repetitum; Specialibus autem Constitutionibus plurimorum locorum VI pro C. permittuntur. vid. *Carpz. p. 2. c. 30. d. 1. ibique Gosw. ab Esbach.*

## XI.

Circa movendas vel suscipiendas actiones in judicio quoque Illustres hi nostri varia habent privilegia, & quidem primò, ratione fori hoc insigni gaudent privilegio, quod, si ipsi criminum infimulentur, non nisi apud Principem, vel datum ab eo cognitorem, de iis conveniri accusarive possint, & datus hic à Principe Commissarius quidem minimè facultatem sibi arrogare valeat, contra ipsos vel substantiam illorū quicquam statuendi, postquam crimen fuerit patefactum; sed peractâ demandata sibi cognitione ad Principem referre necesse habeat, illiusque arbitrio ultionis modum relinquere teneatur; Principis namq; solius voluntati reservata est pœnæ in eos statuendæ tum definitio, tum executio vel remissio *l. ult. C. ubi Senator. vel Clariss.* nec refert, utrum gravia pataverint crimina, & post depositam etiam administrationem accusentur, quia nullius tamen alterius Judicis potestati subsunt, nisi ipsiusmet Principis. Quod nequaquam absolum videri debet, tum ob gesti honoris reliquias, quæ durant finitò etiam officio, *l. 13. in med. C. d. advocat. diversor. Judic.* sicut expressè splendor perfunctæ dignitatis remanere dicitur administratione deposita *l. 1. C. d. Praefect. Prætor. l. 12. l. 3. C. proxim. sacror. scri-nior. Christina. vol. 5. decis. 110.* tum, quod multa sint concessa  
 Illu-

Illustribus, quæ non sunt concessa inferioribus. vid. l. 27. §. ult. & pen. ff. d. t.

## XII.

Habent hîc vi d. l. ult. C. ubi Senator. vel Clariss. etiam hanc prærogativam Illustres, qui administratione aliquâ funguntur, ut quàm diu causa criminis agitur, sedere possint in aliqua Secretarii parte, quæ Judicibus inferior, altercantibus verò superior esse videatur, ut habent verba d. l. ult. Servari etiamnum hæc passim consuetudine in reis potentibus, genereque ac rerum gestarum gloria commendatis, ut non nisi coram Principe aut Supremo ejus Consilio conveniantur, & in scabello sedeant ad objecta crimina per se respondentes, sique convicti fuerint, relatio ad Principem fiat, ut ejus autoritate & nomine condemnentur, testatur Perez. ad d. t. C. n. 5. Ità apud Hispanos causas Illustrium coram Rege aut in Supremo ejus Senatu agi refert Bobadilla lib. 2. Politic. c. 17. in fin. Sic & in Galliâ de Principum sanguinis & Parium Franciæ causis tantum Supremum regni Parlamentum, Lutetianum, cognoscere, patet ex verbis Principis Condæi apud Gramondum lib. 2. histor. pag. 126. ità se natum dicentis, ut non alibi, quàm in Parlamento convocatis Franciæ Paribus judicari possit; & ex testimonio Autoris de l' Estat de France scribentis: *Le Parliament de Paris à cette prerogative, qu'il est seul appellé la Cour des Pairs, ou les Ducs & Pairs de France & plusieurs Officiers de la Couronne prestent le serment, & ou aussi ils doivent estre jugez, quand ils sont accusé de quelque crime, &c.* quo asserto quoque subnixus Joh. Andr. Gerhard. Discursib. de Parlament. Gall. & Angl. D. 1. Sect. post. §. 2. tradit in Parlamento Parisiano, seu omnium supremo, dijudicari causas & controversias Parium, les causes des Pairs, des Princes du sang & des Officiers de la Couronne. Observari quoque ibi in viris ejusmodi dignationis istam sedendi prærogativam, eamque à Senatu Lutetiano Byronio delatam, testatur Mornatius ad d. l. ult. Pariter Simon à Grœnewegen tract. d. LL. abrogat. ad rubr. d. t. C. ubi Senat. vel Clariss. notat ad similitudinem Privilegii Senatoribus vel Illustribus & Clarissimis d. t. ratione fori concessi hodiè etiam quoscunque Hollandiæ, nec non Unitarum Provinciarum Senatores Hagæ-Comitis

com-

commorantes in Supremâ Hollandiæ Curia tam in Civilibus, quàm Criminalibus causis tantùm conveniri, nec consentientes quoque ad aliud trahi posse judicium; Cùm verò moribus Hollandiæ Viri Illustres ex præcedenti administratione, non nisi ex præcedenti informatione & decreto Curia à Fiscii Procuratore generali accusentur, eoque non leviter & ante probationes in reatu, qui dignitatem omnem tollit, constituentur, eos in cognitionibus sibi sedendi facultatem minimè arrogare posse, sed aperto capite gladio discinctos coràm Judice stare teneri, asserit *ad d. l. ult.* Quemadmodum id etiam Jure Civili in iis, qui non ex præcedenti administratione Reip., sed ex privilegio Illustres sunt, statutum *d. l. ult.* add. Elbert. Leon. *Confil.* 80. ubi occasione causæ Comitis Egmondani, in quâ consultus de privilegio fori Equitum Aurei Velleris agit.

## XIII.

Meruerunt porrò Illustres & hoc insigne privilegium, quòd non ut privati, ob debita & imputata delicta, carceri subterraneo mancipari debeant; sed si gravius aliquod facinus admisisse arguantur, extra carcerem in Palatio vel alio digniori loco sub tuitione (ità legendum existimat Cujac. *in l. 16. C. d. dignitat.*) h. e. custodia militari detinendi, vel juxtà vulgarem lectionem *d. l. 16.* Sub fidejussione habentem fidejussoribus committendi sint. *d. l. 16.* prout nimirum id arbitrabitur, qui de patrato crimine cogniturus est, pro qualitate & quantitate, sive levitate & gravitate indiciorum, quæ contra personam suspectam adsunt, atque ex iis, vel de innocentia vel culpa ejus, capiendâ conjecturâ, Farinac. *Op. Crim.* q. 33. n. 63. Brunnem. *Process. Inquisit.* cap. 8. membr. 1. n. 8. Carpzov. *qu. 111.* n. 41. seqq. cujus arbitrium in atrocissimis delictis hodiè se quoq; ad incarcerationem Illustrium extendere notant laudati Autores.

## XIV.

Circa in jus vocationem & citationem hoc privum habent jus Illustres, (ut & Clarissimi) quod nec in Civilibus nec Criminalibus causis nudâ Executoris voce conveniri aut citari debeant vel possint; sed per literas sint evocandi & requirendi *l. 17. C. d. dignitat.*

*gnitat.* post Scacc. & Maranth. Brunn. *ad tit. Cod. d. dignitat. n.*  
39. Ubi subjicit id Interpretes hodiè ad Nobiles & Doctores ex-  
tendere, atque eos etiam in scriptis citandos esse, velle Guidor.  
Pap. *ing. 8.* Corset. *ing. 83.*

## X V.

Privati in jus vocati olim, ni vocantem protenus sequi, aut  
obtorto collo in judicium trahi mallent, idoneis & locupletibus  
fidejussoribus acturo regulariter cavere debuerunt, de se judicio  
dicta die sistendo *t. t. ff. in jus voc. ut eant. vel satis aut caut. dent.*  
Justiniani tempore amplius Reos suo nomine conventos, se usq; ad  
terminum litis permansuros, cavere oportuit §. 2. *Inst. d. satisdat.*  
*Vultej. d. Judic. lib. 2. c. 5. num. 285.* & regulariter quidem etiam  
satisdatò i. e. per idoneos fidejussores. *d. §. 1. l. 2. pr. qui satisd.*  
*cog. quæ cautio etiam adhucdum hodiè in hoc Ducatu Würtem-*  
*bergico, si ab actore ante Litis Contestationem petatur, à reo*  
*præstanda venit J. P. W. p. 1. t. 22. §. Desgleichen id. In Foro*  
*autem nostrò Saxonico ab eà, ut à quavis alia, reum, nisi forsan*  
*de fuga sit suspectus, prorsus immunem esse testatur Carpzov.*  
*p. 1. c. 5. d. ult. & in Proc. t. 9. a. 5. n. 12. seqq. itemque. l. 2. Resp.*  
*79. n. 12. 13. ex ratione, quod satis gravatus hoc ipso censeatur*  
*Reus, quod judicio pulsetur, non amplius gravandus ac oneran-*  
*us, arg. l. 14. ff. d. Offic. Præs. Chil. König. in Proc. c. 47. n.*  
*18. add. Joh. Philipp. Us. Pract. ad tit. d. satisdat. Eclog. 166.*

## XVI.

In Actorum personis quoque, primò moris esse cœpit, ut  
Executores litium cautionem ab ipsis actoribus de peragendis  
suis intentionibus exigent, nec non sponsonem pœnæ, ni acto-  
res id facerent & victoriam reportarent, cum aliquis ex suâ Pro-  
vinciâ in urbem revocaretur. Probavit id Justinianus & in *Nov.*  
*53. c. 1.* sanxit, idem observari, quoties quisque ad Extraordina-  
rium quemque Judicem, sive extra territorium suum Principis re-  
scripto vel privilegio aliquo evocatur. Add. inde desumptam  
*Auth. Quod fieri. C. d. dilat. & c. f. c. 3. q. 1. in quem d. Auth. re-*  
*lata &, ut loqui solent, canonisata est. Secundò postmodum*  
*etiam constituit, ut non prius Reus, quamvis ad suum Judicem*  
*vocatus, actori libellum mittenti respondeat, quam ipse actor ca-*  
*verit*

D

verit

verit, se intra duos menses litem contestaturum, ac ni id fecerit, præstiturum se duplum omnis damni, sic tamen ut cautio 36. solidos minimè excedat. *Nov. 96. pr. & c. 1. inde sumpta Auth. Libellum. C. d. Lit. contest. d. c. fin. c. 3. q. 3.* pariter canonisata. Tertio, sic generaliter à Judicibus voluit provideri, ne prius aliquis in Jus vocetur, quam actor cautionem præstiterit idoneam de permanendo in iudicio usque ad finem Litis, nec non de decima parte quantitatis in libello comprehensæ sumptuum nomine adversario præstanda, si convictus ille fuerit injustè litem movisse. *Nov. 112. c. 2. pr. & hinc sumpta Auth. Generaliter. C. d. Episc. & Cler.* In cuius locum successit hodiè in Foro Saxonico usitata cautio de expensis & reconventionem ab actore, si ante Litis contestationem in prima instantia (alioquin enim nec post in secunda appellationis instantia peti potest. *Mev. p. 1. d. 137.*) à reo petita fuerit, omninò præstanda *Carpzov. p. 1. cap. 1. d. 1. Proc. d. t. 9. a, 5. n. 28. & L. 2. Resp. 76.* modò reus etiam causam, de qua convenire velit actorem, alleget, & juxtà Libellum exhibeat, aut se intra terminum exhibiturum offerat. *Mev. p. 4. d. 166. & p. 3. d. 22.* cuius cautionis in prima instantia præstitæ effectus in secunda dein instantia perdurat. *Mev. p. 3. d. 396. Brunnem. ad l. 1. qui satisd. cog. n. 3.*

## XVII.

Omnis ista cautio Judicialis regulariter datis fidejussoribus præstanda erat à privatis, præterquam si quis tempore præstandæ cautionis in provinciâ, ubi illis peragenda, bona immobilia sufficientia possidebat, is enim à satisfactione liberabatur, *l. 15. ff. qui satisd. cog.* quin & si cautio iudicio fisci exigebatur, non minus ab oppignoratione ac juramento eum in finem præstando immunis erat, non obstantel. *7. ff. ut legator. vel fideicomm. serv. caus. cav. l. 8. C. de princip. agentib. in reb.* vid. *Hahn. ad tit. qui satisd. cog. n. 11. Brun. ad d. tit. C. circa fin. B. Dn. D. Lauterbach. Diss. ad citat. l. 15. qui satisd. cog. in fin.* Observatur hoc posterius, & quidem cum aliqua amplitudine etiamnum hodiè passim, ac in specie quoque in Electoratu nostro Saxonico, ut nimirum quicumque alicubi locorum in Electoratu bona immobilia, vel his æquiparata, possidet, nusquam illius ditionis Judiciorum, & illa cautione

tione de expensis & reconventionem, oneretur, juxta apertam Constitutionem D. Augusti Electoris p. 1. const. 5. pr. ibi: Der so unter uns Güter hat / und gnugsam in unserem Land besessen / soll den Vorstand vor die Expens und zur Widerklag zu bestellen nicht schuldig seyn. ibi: Carpzov. def. 2. Ob cessante fugæ suspicionem, cujus solius ergò in foro Saxonico cautio exigitur Carpzov. L. 2. Resp. 79. Quod procedit, 1. etiamsi bona non sint sub Judice, ubi litigatur, sita, dummodò intra Electoratum sint d. Const. ibi: Ob er gleich unter dem Gericht / dafür er besklagt / sonst nicht seßhaftig. Carpzov. def. 3. 2. Licet actor extra Electoratum habeat Domicilium, Carpzov. ibid. def. 6. ut, 3. quoque minimè opus sit speciali eorundem oppignoratione, d. Const. verbis: So soll er auch nicht getrungen werden / einige Gunst über die Güter von den Gerichten / darunter Sie gelegen / an Vorstand auszubringen, ibi Carpzov. def. 4. & L. 2. Resp. 78. à pr. ad num. 8. nec, 4. quicquam referat, utrum possessor bonorum immobilium de cætero sit obærat, ipsiusque bona creditoribus oppignorata, Carpzov. def. 14. Aut 5. patiatur planè super iisdem bonis controversiam. Carpzov. def. 15. quin licet 6. plenum eorum non habeat Dominium, sed sit fortè Vasallus vel Emphyteuta, Carpz. def. 20. B. Lauterbach. d. Diss. cap. 4. §. 2. imò 7. idem etiam de Usufructuario prædii tradit Carpzov. def. 21. sed vid. d. l. 15. §. 1. B. Lauterbach. d. Disput. cap. 3. §. 16. porrò 8. hoc etiam extendit Carpzovius ad annuos redditus def. 16. item 9. ad actiones ad immobilia competentes def. 17. sed vid. Lauterbach. d. c. 4. §. 8. nec non 10. ad Creditorem pecuniæ hereditariæ, cujus dies nondum cessit, def. 18. quod limitat L. 2. Resp. 77. ut pecunia credita sive nomina in Camera Electorali non relevent Actorem à satisfactione, in Judicio Appellationum, nisi pignoris loco, deponatur instrumentum obligationis, cum recognitione, de non exigendo pecuniam, ante litis egressum; & denique 11. ad res mobiles pretiosas facile amoveri nescias def. 19. jung. Mev. p. 8. Dec. 304. Marquard. d. Jur. Mercat. l. 3. c. 6. n. 35. seqq.

## XVIII.

A necessitate autem satisfactionis dignitatis suæ intuitu exempti

empti sunt Illustres, & qui iis uno grado inferiores, Spectabiles nimirum, qui cautioni juratoriae committuntur, etiam criminaliter accusati de non atroci crimine juxta Farinac. q. 33. n. 64. ubi ad levia crimina restringi vult text. l. 17. C. d. dignitatib. l. 12. C. d. prox. sac. scriin. Cui Juratoriae cautioni, si non steterint, & contra insertum ei sacramentum ipsi vel eorum Procuratores abfuerint, in Civilibus causis decernetur missio in possessionem, in Criminalibus ob contumaciam illustri dignitate privati condemnantur inconsulto Principe d. l. 17. Procedit dictum assertum de Illustribus ad cautionem juratoriam admittendis, sive Fidejussores habere possint, sive non. Frantzk. ad tit. qui satisd. cog. in fin. Struv. Exerc. 5. §. 24. (quo ultimò casu aliàs Plebeji etiam ad cautionem juratoriam admittendi ex necessitate quãdam, in hoc ab Illustribus differentes, si modò sint vitæ integritate conspicui, probæ famæ, nec de fugâ suspecti, & deinde jurent, se nec pignora habere, nec fidejussores idoneos, quantacunque licet adhibitâ diligentia, reperire potuisse Nov. 112. c. 2. Auth. Generaliter. C. d. Episcop. & Cleric. Hodie autem de credulitate saltem jurant, uti patet ex seq. pronuntiandi formulâ: Würde Kläger schwören/ daß Er so viel nicht im Vermögen / glaube auch nicht/ daß er nach angewendetem möglichen Fleiß / den geforderten Vorstand / mit Bürgen oder Pfanden / bestellen könne / so wird Er solchen mit seinem leiblichen Ende zu bestellen / billich zugelassen &c. Quam in usu hodie esse testatur Carpzov. in Proc. Tit. 9. art. 5. num. 53.) Etsi verò cautionem illam, quatenus exigitur & præstatur à Personis dignitate Illustribus, mediante juramento, secundum quorundam opinionem nomine satisfactionis venire, moribusque sic necessitatem satisfaciendi per fidejussores in desuetudinem abiisse, testetur Treutler. V. 1. D. 5. §. 2. lit. a. attamen sententiam istam rectè rejicit Bachov. ibid. nam quod statim ab initio cum altero stetit, & adhuc durat, mutatum censerit nequit: Viri Illustres autem statim ab initio liberati fuere, ab onere satisfaciendi, ergò in iis modus satisfaciendi propter dignitatem mutatus dici nequit. Minor ex alleg. l. 17. C. d. dignit. patet; Neque sequitur: à quibusdam exigitur cautio juratoria, ubi regulariter ab aliis satisfactio requiritur; ergò appellatione satisfactionis venit cautio



tio juratoria; nam id ex peculiari legis dispositione est, quod à quibusdam propter singularem illorum qualitatem, loco satisfactionis alia præstetur cautio, interim propterea non confundenda est species cum specie, quod utique fieret, si juratoria cautio, in Personis Illustribus satisfactio esset, cum propriè satisfactio dicatur, quæ fit datis fidejussoribus. *l. 7. pr. ff. d. prætor. stipulat.* Alia quæstio est: An adhuc hodiè Illustres committantur juratoriae cautioni; num verò perindè ac plebej satisfactio cogantur, ubi ab his exigitur fidejussoria cautio? cujus posterius membrum affirmat Treutler. *d. 8. seq. lit. b. cum Claro §. fin. q. 46. & aliis.* Sed vid. Excell. Dn. Harpprecht. *Disp. de Caut. Jurat. th. 24.*

## XIX.

Jure Veteri nemo regulariter per Procuratorem agebat, vel actionem excipiebat, (etenim ex L. XII. Tabb. non licebat procuratorio nomine agere, nisi pro populo, pro libertate ac pro tutela, & ex L. Hostil. de furto pro absentis Reipublicæ causa vel ab hostibus detento. *pr. Inst. per quos agere poss. ibi Franzk.*) sed quilibet in Judicium ipse venire compellebatur, quamvis etiam decumberet, vehebatur enim tunc ab actore jumento aut curru, testante Aulo Gellio *l. 20. noct. atticar. c. 1.* Postmodum verò sensim introductum & receptum est, ut quisque pro arbitrio per Procuratorem actionem intentare vel excipere possit, quia morbus, ætas, necessaria peregrinatio, imperitia rerum forensium, multæque alix justæ causæ sæpè intercedunt, impedimentoque sunt, quo minus litibus nostris ipsi superesse queamus, interdum etiam certâ ex causâ nolimus, *d. princ. & l. fin. C. d. Procuratorib.* Non tamen in Criminalibus causis, quantum pœna ad relegationem usque extendi valet, (in causis enim pœnam pecuniariam habentibus aliud juris semper fuit. *Boss. tit. an in criminali judicio. n. 5. Clar. §. fin. q. 42. n. 5. Gomez. tom. 3. var. resol. c. 1. num. 13. Cevallos q. 289. n. 1. Farinac. q. 99. n. 66.*) Procurator sive Mandatarius admissus fuit, à parte accusatoris quidem, imprimis ob periculum inscriptionis *l. 13. §. 1. d. public. judic. l. 15. C. d. accusat. l. 1. ff. an per caus. appell. reddi poss. Besold. in delib. jur. lib. 3. q. 20. Carpz. q. 105. n. 45.* quâ ratione hodiè cessante, cessat & ipsa prohibitio, admittiturque nunc moribus, ut accusatio per Procuratorem

ratores etiam fiat. Besold. Carpzov. *dd. locc.* Hahn. *d. Procuratorib. num. 5.* Clasenius, aliique ad *Ord. Crim. artic. 12.* Dissentit Bocer. *Class. 3. Diss. 6. tb. 38.* ex parte Rei verò in talibus causis etiamnum dari nequit Procurator, ex causa, ne ipso Reo aufugiente ipsum iudicium reddatur elusorium *dd. text.* non existente, contra quem concepta feratur, & executioni detur sententia, promeritaque eà statuta pœna, cum Procurator ulterius, quàm ad pœnam pecuniariam se obligare minimè possit. Hieron. de Cævallos in *Spec. commun. opin. contra commun. q. 237.* cum ibi allegatis. Farinac. *d. q. 99. num. 118.* Carpzov. *d. q. n. 43.* Clasen. *d. l.* ubi varias exceptiones & declarationes reperies.

## XX.

Hic autem Illustres nostri iterum peculiari gaudent jure, ipsi enim tam in pecuniariis, quam in criminalibus injuriarum causis, non modò possunt, sed modis omnibus etiam debent Procuratorem constituere, perque eundem actiones & accusationes illas movere vel suscipere *l. 25. C. d. Procuratorib. Auth. hoc jus dabit. C. eod. Nov. 71. l. fin. C. d. injur.* sententia tamen (in causa injuriarum criminali) absque nota infamiae in ipsorum Illustrium personam proferenda, *d. l. ult. C. d. injur.* quæ in *can. 18. vers. nisi. caus. 3. qu. 9.* canonisata; Quod maximè singulare est, primò, in eo, quòd nulla infamiae, quæ aliàs injuriarum suo nomine condemnatum ordinariè sequi solet *l. 6. §. 2. d. his qui not. infam.* macula ipsis inuratur, sed ea per absentiam ab Illustribus evitetur, dum nimirum ipsi in iudiciò non comparent, sententiaque in absentes fertur. Perez. *C. d. injur. n. 17.* Gail. *2. O. 102. n. 7.* Secundò, quoque in hoc, quòd, licet eorum nomine egerit Procurator, sententia tamen in ipsorum principalium feratur personam, cum aliàs sententia in Procuratorem tanquàm litis Dominum stringenda. *l. 22. C. d. Procuratorib. l. 1. C. d. sent. & interlocut.* Unde Brunnem. *ad d. l. n. 6.* etiam tradit, Procuratorem hunc à personà Illustri, in causa injuriarum criminali datum, videri nudum tantùm ministrum, qui vicarias præstet operas, & expediat, quæ à dignitate mittentium sunt alieniora. Non autem dictæ leg. dispositionem in aliis causis criminalibus obtinere vult Farinac. *d. q. 99. n. 119.* & cum eo Brunnem. *d. l.*

## X X I.

Cum alii ad testimonium in causa quacunq̄ue reddendum in  
 Judicio comparere tenentur, Illustres, ut personæ egregiæ, in suis  
 ædibus, misso ad eos Commissario, examinandi veniunt. *l. 15. ff. de  
 jurejur.* Habent denique & id eximii privilegii loco, ut in causis cri-  
 minalibus torqueri non possint regulariter. *l. 11. l. 16. l. 17. C. de  
 quest. l. 8. l. 10. C. de de dignit.* Carpz. *Pr. Crim. q. 118. n. 71. seqq.*  
 Quod multò magis in hodiernis Illustribus personis illos multis  
 parasangis superantibus obtinet, cum & Nobiles, Doctores ac  
 Licentiati hodie vi *dd. ll.* privilegium immunitatis à tortura præ-  
 tendant, quanquam eodem frui non ubiq̄ue ipsis concedatur. Li-  
 cet verò illud ipsum iisdem in Imperio nostro adhuc dum compe-  
 tere, nec consuetudine contraria abrogatum dicatur, multas tamen  
 patitur restrictiones, quas videsis ap. Carpzovium *d. q. 118. n. 87.  
 seqq.*

## S E C T I O II.

## C A P U T I.

## D E

Personis Illustribus hodierni Sacri  
 Romano-Germanici Imperii.

## I.

**A**D methodum primæ partis & hîc, primò, consideraturi su-  
 mus, quinam hodiè Illustrissimum Nominè apud nos veniant  
 in Imperio nostro Romano-Germanico, quod ità, non tam à  
 prima Imperii Romani Occidentalis, quatenus illud tunc temporis  
 in exiguis consistebat reliquiis, à Carolo M. Francorum Rege factà  
 acquisitione, quam ab ejusdem æterno fœdere cum ipso Germaniæ  
 Regno ab Ottone I, Carolum M. factis & nomine æquante, factà  
 conjunctione, audit; ut enim per illam ad Francos, sic per hanc,  
 à gente Carolinâ iterum destitutum, derelictumq̄ue, verè ad Ger-  
 manos, separatum jam tum à Francis, liberumq̄ue suæ nationis  
 regnum, in Caroli M. Nepote, Ludovici Pii filio secundo genito,  
 Ludo-

Ludovico Germanico, fundatum, & iusta ac diurnâ possessione in ejusdem posteris continuatum, ac deinde post fatalem eorum casum, qui in Ludovico IV. acquirentis lineæ, ex prosapia Caroli, ultimo, contigerat, ex gravi, necessariaque causa, maturo consilio, per liberam electionem, ad alias nationis Germanicæ familias devolutum, eoque tempore penes Ottonem constitutum habentes, pleno Jure translatum est, Sacro - Sanctum Romanum Imperium, adhuc dum apud eos iustâ, per tot jam secula, sine ullâ validâ interruptione continuatâ, possessione persistens, quod agnovit Joh. Fraxineus Henrici II. Gallicæ Regis Legatus apud Thuanum *lib. 10. histor. fol. 201.* dum inquit: *Imperium (Romanum) in Regum Francorum familiâ primùm fundatum commune utriq; genti (Germanorum & Gallorum) fuit, deinde ad Germanos translatum est, ab Ottonem nimirum M; quem non ut Carolum Senatus Populiq; Romani electione vel pacto, sed Jure belli illud acquisivisse, & ad Germanos perduxisse, probare satagit Dn. Conrad. Samuel Schurzfleisch. Dissertat. d. Divis. Imper. Carolini. 0. 75. 76.* subjungens, non necessitatis ideòque; sed cautionis fuisse, quod Otto M. Jure belli firmatus & fultus cum Senatu Populoque Romano pactiōnem fecerit, quæ & hinc non spectaverit ad causam possidendi, sed ad securitatem retinendi Imperii, dum Romani ultrò facti, Ottonem M. Jure armis quæsito uti, & ex eo capite sibi justè imperare, ac testati, se pacto suo ei non dare summam potestatem, quippe quàm jam victoriæ Jure acquisiverit, sed solùm declarare suam Jure belli introductam parendi obligationem. Vim itaque pacti cum Ottonem M. initi, Ottonis III. & Gregorii V. tempore denudè confirmati (vid. *canon. 23. dist. 63. Conring. d. finib. Imp. c. 9. 10.*) præcipuè in eo sitam fuisse, ut præter verum, validumque belli Jus, voluntariâ quoque populi Romani cessione, omnis in universum potestas repetendi ac revocandi Imperii in posterum prorsus extingueretur, Imperiumque Romanum æterno fœdere cum Regno Germaniæ conjungeretur, adeò, ut Germani deinceps eadem electione Reges sibi, & Imperatores Romanis summâ & in perpetuum mansurâ potestate constituerent. Non igitur injuria ex perpetuo illo per Ottonem Germaniæ Regibus parto Jure in Augustum Imperii Romani Decus, Respubl. nostra hodiernum,

Impe-

Imperii Romano-Germanici, vel, si mavis, Imperii Romani Teu-  
tonicæ nationis, nomen, sanctaque ejus Capita, Imperatorum Ro-  
manorum, semper Augustorum, titulum sibi vindicant.

I I.

Constat autem apud nos hætenus in *significatu soleni ac curiali*,  
titulum Illustrium, Comitibus ac Baronibus, tributum esse,  
ita, ut illi Illustrissimi, hi Illustres communiter salutati fuerint.  
Feltman. *d. tit. honorum. c. 4.* ut verò mores hodierni sunt, quem-  
admodum in vestibus, aliisque similibus, sic & in titulis luxus in-  
dies magis magisque excrescit, ac titulatura de die in diem aliam  
atque aliam induit faciem, ferèque nunc titulus hic Nobilibus in-  
dignitate constitutis etiam communis factus est.

I I I.

In Oratorio autem *significatu*, sub Illustribus comprehenditur.  
I. ipsemet Imperator, qui fons & scaturigo omnium, dignita-  
tum Reinking. *d. R. S. & E. lib. 1. cl. 5. c. 2. n. 4.* gaudens quip-  
pe facultate creandi, non modò Duces, Principes, Comites, Ba-  
rones, & Nobiles; sed etiam Reges, testantibus de priori passim  
vel hujus ac superioris seculi, ne de antiquioribus collatarum ejus-  
modi dignitatum exemplis, de quibus videsis Mylerum, *Archolog.*  
*cap. 9. & 10.* quicquam dicamus, actis; ex quibus neminem late-  
re puto, à Maximiliano II. Imperatore, Johannem Comitem de  
Ligni Anno 1568. inter Principes Imperii adlectum, & quia, de-  
relictò avito nomine, se à Comitatu Arembergico, qui ipsi cum  
Margarita Marcana obvenerat, Arembergicum appellavit, sub  
Principis Arembergæ nomine Circulo Rhenano inferiori adscri-  
ptum esse. Ejus filius primogenitus Carolus, (quem erroneè Zeile-  
rus *d. circul. Imp. tit. 2. pag. 17.* primùm in Principem evectum anno  
1676. scribit, forsan ex causa, quòd ipse sessionem & votum in Co-  
mitiis tunc nactus) per connubium Annæ, Philippi Ducis Arschot-  
tani, Principis de Chimay, filix, & Caroli fratris unici, Anno  
1612. absque liberis mortui, heredis, Ducatu Arschottano, & Prin-  
cipatu Chimacensi, nec non Comitatu Bellemontii locupletatus,  
Pater extitit Philippi Ducis Arschottani, & Alexandri Principis  
Chimacensis; alter autem filius Robertus Barbanfonios propaga-  
vit, quorum omnium posteris in universum, totique aded familiæ

E

Arem-

Arembergicæ, Ferdinandus III. Imperator axioma Ducale imperavit atque confirmavit Anno 1644. Constat inde porrò à Rudolpho II. Carolum Mansfeldiæ Comitem, Petri Ernesti filium, Anno 1595. Pragæ ad Principalem dignitatem evectum, sed absque liberis ante patrem iterum mortuum.

## V I.

Et quem quæso fugit à Ferdinando II. creatos esse Principes Ernestum Comitem de Schaumburg, Anno 1620. titulo Principis Holsatiæ & Schaumburgensis ornatum, quod cum Rex Daniæ Christianus IV. ægrè ferret, tanquàm in suum & cognatorum Ducum Holsatiæ præjudicium factum, & Imperatorem per literas de dato Crempe 29. May Anno 1620. interpellaret, de titulo isto abolendo, responsum autem de dato Viennæ 2. Martii 1621. acciperet, nihil in præjudicium Ducum Holsatiæ ab Imperatore tentatum, sed Ernestum Comitem non Holsatiæ, sed bonorum, quæ in Ducatu Holsatiæ ex antiquo Jure adhuc obtineret, & possideret, Principum ordini adscriptum esse, eò acquiescere nollens, denuò literis de dato Haffniæ 18. April. 1621. instaret, ut titulus retractaretur, vid. Lundorp. *Act. Publ. p. 3. c. 38. seqq. p. 4. c. 83. & 89.* novus Princeps verò titulo illo abstinere spontè nollit, Rex ipsum bello adortus ad id compulit, eò magis a. ille post abolitus fuit, quia Princeps mox sequenti anno sine liberis obiit.

Johannem Georgium Comitem de Hohenzollern, ejusque filium primogenitum cum omnibus suis descendentibus qui futuri possessores, *der Fürstl. Graffschafft und Stamm-Hauser Hohenzollern* / vigore Diplomatis exhibiti à Limnæo, *tom. 1. addit. lib. 5. post cap. 9. add. tom. 2. addit. ibid.*

Johannem Ulricum de Eggenberg, Baronem antè, cum omnibus ac singulis descendentibus utriusque sexûs, Dn. Im Hoff in *Notitia Histor. Herald. Genealog. Procerum Sacri Rom. Imp. lib. 5. cap. 3. n. 2. 3. Limnæus tom. 1. addit. lib. 5. post cap. 7.*

Philippum Ottonem Comitem de Salm, cum filio natu majori, cunctisque eorum descendentibus, qui Comitatum Salmensem possessuri, vigore Diplomatis relati à Limn. *tom. 2. addit. ad lib. 5. cap. 15.*

Zdenko

Zdenko Adelbertum de Lobkowitz, ex Barone quidem, pariter cum omnibus suis descentibus, vi Diplomatis Aurea Bulla signati de 17. August. 1624. exhibiti ab Uffenbachio *tr. d. Jud. Imp. Aul. c. 11. pag. 126. seqq. add. Limneus, tom. 4. & 5. sub fin. lib. 5. cap. 11.*

Franciscum de Dietrichstein, Cardinalem Ecclesiae Romanae, concessa ipsi facultate ex agnatis suis aliquem heredem collatae dignitatis Principalis constituendi. Cum igitur Maximilianum ex fratre Nepotem supremam voluntate heredem ex asse nuncupasset, isque Patruum hereditatem, tam quoad possessiones in Moravia coemptas, quam Principalem dignitatem crevisset, haec ipsi & posteris ejus novo Diplomate ab Imperatore Anno 1631. confirmata est, ita tamen, ut filio tantum majori natu e linea descendente axiomate Principali, ei que annexa prerogativa uti frui Jus esset. *Im Hoff lib. 5. cap. 15.*

## V.

Porro quem praeterit Ferdinandum III. Imperatorem, Principale axioma contulisse

Comitibus Nassovia, linea Siegensis, Dillenburgicae, Diezensis, & Hadamariae, suaque autoritate apud Status Imperii perfecisse, ut Anno 1654. in Comitibus Ratisbonensibus ad sessionem & votum in Collegio Principum admitterentur, vid. *Limn. tom. 5. lib. 5. post cap. 12. Im Hoff. lib. 5. cap. 6. n. 17.*

Octavio Principi Piccolomini, qui Prole nulla ex Coniuge sua suscepta supremis tabulis Heredem ditionum in Bohemia acquiratarum & Dignitatis Principalis scripsit Aeneam Piccolomineum, suum e fratre Pronepotem, cujus frater nunc superat. *Im Hoff. lib. 5. cap. 15.*

Johanni Weickardo Comiti Auerspergio, hac cum conditione, ut semper Senior ex ejus Descendentibus, & in illorum defectu alius ex Gentilibus Principali axiomate utendi facultatem habere debeat. vid. *Limn. tom. 5. lib. 5. cap. 3.*

Ennoni Ludovico Comiti Orientalis Frisiae, itidem cum illa limitatione, ut semper primogenitus ex futuris descendentibus solum Princeps esset, reliqui Comitis titulo contenti viverent.

Ei verò Annò 1660. absque filiis defuncto successit frater, Georgius Christianus, cui Gloriosissimus & Inviçtissimus Imperator Leopoldus, (cui DEUS porrò vitam & victorias super hostes suos clementissimè largiatur,) Annò 1662. Principale decus, Ennoni Ludovico, primitus collatum, renovavit, sed etiam ipse præmaturo fato Annò 1665. die 10. Januar. ante introductionem in Senatum Principum, viventium numero exemptus, quam filius ejus posthumus, Christianus Eberhardus, magni & prudentis animi Princeps, vel potiùs ejus nomine Serenissima Mater, Christina Carola, nata Ducissa Württembergiæ, &c. Vidua & Tutrix Regens, mox Anno 1667. obtinuit, loco ipsi ante Principes Fürstenbergicos concessio, sed cum Jure alternandi, sic tamen, ut Domus illius duabus vicibus præcedat, & tertiâ demùm vice Fürstenbergicis cedat.

## V I.

Denique in omnium recenti adhuc memoria procul dubio erit ab Augustissimo Imperatore Leopoldo, porrò ad Principale fastigium etiam erectos

Johannem Ferdinandum, Comitem de Portia, cum omnibus Descendentibus masculis. Im Hoff. lib. 5. c. 17.

Hermannum Egonem, Egonis Comitis Fürstenbergici filium cum fratribus Anno 1661. ità, ut secundum pacta familiæ semper primogenitus Princeps esset

Johannem Adolphum Comitem Schwarzenburgicum, Secretiorem Imperatoris Consiliarium & Judicii Imperatoris Aulici tum Præsidem, Annò 1671. qui Cato in foro, Cicero in rostris, Fabius in armis, Patriæ providus, Prodigus sui, publico elogio prædicatus, teste Im Hoff. lib. 5. cap. 10. n. 8.

Albertum Ernestum Comitem Öttingensem, cum filiis & descendantibus, hæc quidem extensione, ut si eum sine filiis decedere contingeret, frater ejus secundo genitus Joachimus Ernestus, cum descendantibus suis, & eo quoque sine filiis mortuo, tertio genitus frater Christianus Augustus, demum in illa dignitate succederet; vigore Diplomatis aureâ bullâ ornati de 14. Octobr.



Octobr. 1674. In quo Sacratissimus Cæsar eum ex singulari gratia prædicato *unserm Oheim* cohonestavit, & in posterum illo honestandum voluit.

Et modò quatuor ante annos, 1682. nimirum, Gloriosissimus hic Imperator Georgium Fridericū, Com. Waldeccensem, Ordinum Generalium Reipubl. Batavicæ Generalem Campi-Mareschallum, postquam in Comitibus delectibus pro securitate Patriæ conservanda factis præfectus, & Supremi in Imperio Campi Mareschalli (*Reichs-Feld-Marschall*) axiomate ornatus fuisset, ad Principalem dignitatem evexit, vigore Diplomatis dati Luxemburgi die 17. Junii d. ann. 1682. pro quo Sacra Cæsarea Majestas quoque Ipsamet taxam 10000. floren. & jura Cancellariæ à 5000. florenis ex propriis solvit, notante Iffenbachio *de Judic. Aulico c. 19. Sect. 2. pag. 249.* hicque  $\frac{21}{31}$  Majilanni currentis suffragii jus etiam in Principum Imp. Collegio obtinuit.

Supplicarunt quoque iteratò superiori modò annò Walradus & Georgius Augustus, Comites Nassoviæ, lineæ Saræpontanæ, Cæsareæ Majestati pro conferendo seu potiùs novo Diplomate confirmando Principali honore; sed intercessere huic proposito Walradi Frater, natu maximus, Johannes Ludovicus, & Agnatus Ludovicus Craftius, Comites Nassoviæ, qui peculiarem eâ super re memorialem Libellum Senatui Imperii in Comitibus congregato die  $\frac{28}{18}$  Decembr. 1685. offerentes ultro quidem facti sunt, à Carolo IV. Imperatore Familiam Nassovio-Saræpontanam Principali Dignitate quondam auctam fuisse, sed tamen usu axiomatis majores suos aliquandiu abstinuisse, neque nunc hoc quidem rerum statu aliud & absque totius Domus excidio usurpari posse, affirmarunt.

## VII.

Et cum tantum intra Seculi ferè terminos creatorum Principum habeamus numerum, de Comitibus & Baronibus, qui decus suam & novæ dignitatis splendorem ex liberali gloriosissimorum horum Imperatorum manu longè majori numero acceperunt, hâc vice tacebimus, remissuri B. L. ad *Limnæum tom. 1. addit. ad lib. 2. cap. 9. n. 28.* sexaginta novem Comites, & ultrâ

centum Barones à Ferdinando II. & III. noviter creatos nomine-  
 tenus recensentem, quibus Imperatoribus Augustissimus noster  
 Imperator LEOPOLDUS hâc in parte segnior hactenus non fuit.  
 Noviora hæc si quis contulerit cum vetustioribus, fatebitur, credo,  
 nobiscum, nullam esse ac fuisse Illustrem Familiam in toto Impe-  
 rio, quæ non dignitatis suæ Principalis, Comitivæ &c. decus ab  
 aliquo ex ordine Cæsarum habeat atque habuerit.

## VIII.

Posterioris, (vid. Th. III.) Imperatorem nimirum etiam Re-  
 ges creare posse, fidem faciunt creati ab Imperatoribus nostris Re-  
 ges Daniæ, Poloniæ, Bohemiæ, de quibus vid. Excell. Dn. Præ-  
 ses in *Introduct. in Jus publ. part. spec. Sect. 1. cap. 7. n. 1. cum ibi  
 allegat. quib. adde Knichen. Oper. Pol. lib. 2. p. 3. Sect. 1. c. 4. tb.  
 8.* Reges Hungariæ illis adjungentem. Notat quoque hic ipse,  
 quod & Fridericus I. Imperator Barisonem Arboreæ Judicem à  
 Genuensibus adductum, acceptâ pecuniæ summâ, 4000. nim.  
 Marcarum, Regem Sardinia appellaverit, & in Basilica sancti  
 Syri solenni ceremonia Diademate redimiverit, referente Carolo  
 Sigonio *de Regno Italia lib. 13.* Itemq; quod Fridericus II. Impera-  
 tor dicatur Fridericum II. Austriæ & Styriæ Ducem ad Regiam  
 Dignitatem evexisse vigore diplomatis, quod ex Petro de Vineis  
*lib. 6. Epist. 26.* afferat Cuspinianus in *Austria pag. 55.* Sed utut il-  
 lud etiam recensent Huld. Mutius in *Chron. Germ. lib. 10. p. 182.*  
 partemque ejus item Author *Cosmodrii etate sexta cap. 64.* at-  
 tamen addat hic effectui illud datum non esse, quod quoque ve-  
 risimile videtur ipsi Knichenio, hincque illud in Archivo Princi-  
 pum se non reperisse, subjungit etiam Cuspinianus. Pariter Vi-  
 toldum Magnum Lithuanæ Ducem ab Imperatore Sigismundo  
 Dignitatem Regiam ambiisse, impetraturum quoq; ipsum eandem  
 fuisse, ni actum publicæ collationis vel inaugurationis Jagello  
 Poloniæ Rex & Republica gravibus de causis impedivisset, ex  
 Kojalowizio *part. 2. histor. Littuan. c. 2.* refert laudatus Knichen.  
 1.1. Porro Carolum Pugnacem seu Bellicosum Burgundiæ Du-  
 cem ad fastigium Regium à Friderico III. consequendū anhelasse,  
 ac omni conatu apud ipsum Augustæ Trevirorum, ut Rex Gallia  
 Belgicæ renunciaretur, laborasse, consensisse etiam ferè Impera-  
 torem

tozem, postea tamen Ludovici Regis Galliae dissuasum animum mutasse, sicque illum spe sua frustratum memorat post alios Reinking. *d. R. S. & Eccl. lib. 1. class. 2. c. 7. n. 59.* Denique quod Carolus V. Imperator aliquando Belgium in Regni fastigium sub titulo Leonum evehere in animo habuerit, plusquam notum est ex narratione Guicciardini *in Belg. & aliorum.* Ex quibus satis apparet, Imperatores nostros utique hoc jus omni tempore sibi vindicasse, atque etiam aliquoties exercuisse, & exteros, qui eam dignitatem ab ipsis petierunt, id aded agnovisse, ut Rex Cypri satius sibi esse duxerit, à Romano-Germanico, quam Constantinopolitano Imperatore coronari, Regiumque Diadema impetrare, teste Arnolde Lubecensi, *V. Chronic. 2.* qui ita: *Sanè idem Rex sub ditione Constantinopolitani Imperatoris prius subsistens, ad Majorem Gloriae suae dignitatem à Gloriosissimo Romanorum Augusto (Henrico VI.) coronari desideratissime expetiit.* An autem idem jus adhucdum hodiè ipsis competat? forsan dubitari posset, cum nulla Regiae Dignitatis conferendae fiat mentio in Capitulationibus Imperatorum vid. Ferdinandi III. *art. 46.* Ferdinandi IV. & Leopoldi *art. 44.* Verùm hoc non obstante, illud ipsis hodiè competere, affirmat Limnæus *ad Capit. Ferdin. III. d. art. 46.* verbo: *Fürsten, Grafen, und Herren Stand / cui alii etiam subscribunt.* Sed redeamus in orbitam.

## IX.

Secundò, in *Oratoria sive arbitraria significatione* nomine Illustrium venit Rex Romanorum, qui, utilitate vel necessitate Imperii exigente, Imperatori in vivis existenti & rerum adhuc potenti, cum vel sine ejus assensu, ab Electoribus, Cæsari & Imperio de necessario subsidio prospecturis, per liberam electionem adjungitur, ut absente vel impedito Imperatore Imperium regat ac moderetur, mortuoque ipso deinde sine ulteriori electione in nomen, dignitatem & potestatem ejusdem indubitato succedat, Recessus Imper. *de anno 1559. pr. ibi: Uns als hiebevör erwählten/ bestetiaten/ und gekrönten Römischen König/ auch Ihrer Liebden und Keyserl. Majestät im Fall der Erledigung des Keyserthums ungezweiffelten Nechten Successori &c.* Recess. Imper. *de anno 1566. pr. ibi: Daß Wir gleich bald nach tödlichem*  
Ab.

Abgang gedachtes Unsers geliebten Herrn und Vatters / Uns  
 der Administration des erledigten Keyserthums unterfangen 2c.  
 Capit. Leopold. art. 36. ibi: Die Chur-Fürsten bey ihrer freyen  
 Wahl eines Römischen Königs / nach Inhalt der güldenen  
 Bull / und dieselbe jedesmahls / und auff alle Fall / wen Sie  
 es vor nöthig / und zu Erhaltung der Grund-Gesetz und dieser  
 Capitulation / oder sonst dem heiligen Reich nothwendig und  
 nützlich befinden / auch bey Lebzeiten eines Römischen Keyfers  
 mit oder ohn desselben Consens vorzunehmen / geruhiglich lassen.  
 Et cum Imperatore pari gaudet Potestate (Majestate nimirum,  
 quâ, ex admissione Imperatoris in consortium ejus, vi Electionis  
 pollet, hâc tamen inter illos, quoad modum eam habendi, inter-  
 cedente differentiâ, quod Imperator eam ita habeat, ut pro lubitu  
 semper eam exercere possit, Rex Romanorum verò ita, ut eam  
 non nisi certis casibus, ubi videlicet Imperator impeditur vel ab-  
 sens est, & tunc quidem etiam cum respectu ad Imperatorem il-  
 lam exercere valeat Excell. Dn. Præses *Sect. 1. cap. 3. n. 8.* Dn.  
 Kulpis *Dissertat. de Imp. Reg. Roman. & Vicariis tb. 17.* Lyncke-  
 rus *d. Reg. Roman. lit. E.*) ac dignitate, salvo saltem hujus gradu  
 & ordine, quod Imperator Regem Romanorum præcedit, quare  
 eidem prædriam præ aliis Europæ Regibus, perinde ut Impera-  
 tori, deberi asserunt Ant. Quetta *conf. 1.* Goldast. *d. majoratu cap.*  
*17. n. 7. seqq.* Limnæ. *lib. II. c. 15. n. 44. seqq. ibique tom. II. ad-*  
*dit.* Crusius *d. jur. præced. lib. 3. c. 2. 3.* quos tacitè sequitur supra  
 laudatus Dn. Præses *d. cap. in fin.*

## X.

Tertio, in illo significato sub Illustribus comprehenditur Augu-  
 stissima Imperatoris, itemq; Regis Romanorū Conjux,  
 quæ Augustæ nomine, velut honore dignissima & sanctissima,  
 maximèque veneranda, ac reverenda, communiter salutatur. (ut  
 verò communiter ita appelletur, non tamen ei ex stylo Curia in  
 inscriptionibus literarum vel supplicationum, titulum *Semper Au-*  
*gustæ* tribui notat Henr. Henning. *ad Becker. l. 2. c. 5.* hinc cum  
 superioribus annis simplicioris indolis homo, libellum supplicem  
 ad præsentem Serenissimam Imperatoris Conjugem direxisset,  
 eamque in ejusdem inscriptione à tergo pro more facta lingua  
 ver-

vernacula, zu allen Zeiten Mehrerin des Reichs appellasset, id ab Imperatore cum risu acceptum fuisse, & Libellum ab illo ipso cum voto boni ominis ad Imperatricem perlatum esse, sed vid. *Diploma primar. precum Imperatricis Leonoræ* apud Fritsch. *de Jure prim. prec. mantissa 2.*) atque ut Imperator Majestatico dignitatis splendore omnes anteit Reges ac Principes, ita & Ipsa omnium Regum ac Principum Illustres Uxores honoris ac dignitatis lumine superat, quia non saltem apud Romanos, sed omnes alias quoque moratiores Gentes usu receptum est, ut maritus uxori suæ eundem dignitatis gradum, quem ipse habet, communicet, eaque sic maritali corruscet splendore, ut quod non modò Civili, sed Naturali etiam subnixum est ratione, fundatum quippe in arctissimo societatis conjugalis fœdere, quod juxta naturam suam unionem quandam inter Conjuges inducit, quæ unitas ut ad sacra & domestica, sic & ad civilia, statum scil. & conditionem externam, rectè extenditur Ahasver. Fritsch. *tr. d. Augusta cap. 4. n. 4. 5. 7.* Constituit hinc Carolus IV. Imp. *in A. B. cap. 26. §. 5.* quod Imperatrix sive Regina Roman. suis Augustalibus amicta insigniis post Regem vel Imperatorem Romanorum, Regemque Bohemiæ, (si is alius est ab Imperatore) qui Imperatorem immediatè subsequitur, (statim) competentis spatii intervallo, suis associata Proceribus, suisque comitata virginibus, ad locum Sessionis (ante omnes alios) procedat. Ita habet lectio Authographi A. B. quod Francofurti ad Mœnum in Curia, quam **den Dömer** vocant, ceu loco Electioni Imperatorum dicato, asservatur, cujus accuratissimam copiam nobis exhibuit Dn. Henric. Gunther. Thulemar. *in fin. tract. sui de Bull. Aur. argent. &c.* Unde procidit jam Disputatio super quaestione: *Num Imperatrix seu Regina præcedat, vel sequatur Regem Bohemiæ in solennibus processionibus?* ex variatione lectionis apographorum exorta, de qua vid. *Limnæ. add. c. 26. §. 5. obs. 2. & ad Capit. Ferdinand. III. art. 4. verb. Vorgehen. pag. 686.* De loco in Sessionibus ei competente vide post *Limnæ. ad Aur. B. d. 1. obs. 9. Fritsch. de Augusta. cit. cap. 4. n. 16.*

## X I.

Non autem tantum honoris & dignitatis suæ splendorem (ad quem augendum ipsa Augusta ab antiquo tempore, cujus ini-

tii vix certa extat memoria, suum etiam habuit Archi-Cancellarium perpetuum, Abbatem nimirum Faldensem, Archi-Cappellanum, Abbatem Sancti Maximinii apud Treviros, Fritsch. *d. tr. c. 4. ubi ordinarium Statum Aulicum Augustæ Imperatricis, Eleonora, natæ Ducissæ Mantuæ & Montisferrati, ex Autore, qui descripsit Statum particul. regiminis Ferdinandi II. Imperatoris subicit, & c. 5. ubi in originem Archi-Cancellariatus illius inquirat, & munus describit*; Consuevitque iisdem ferè solennibus, quibus Imperator ipse, coronari, ut patet ex relationibus de actu coronationis Reginae Annæ Austriacæ, Conjugis Matthiæ Imperatoris, ap. Goldast. *Polit. Imper. part. 1. discurs. 14.* & coronationis Mariæ Hispanicæ Ferdinandi III. Conjugis apud Carpzovium *d. Leg. Reg. Germ. c. 11. Sect. 11.*) sacratissimus Imperator Augustissimæ Conjugi suæ communicat, sed eandem quoque Privilegiorum ac Jurium suorum, quibus gaudet, participem facit. *l. 31. ff. d. LL.* quod tamen cave, ne temerè ad Majestatem, quatenus summam in Rep. potestatem dicit, (nam quatenus est titulus dignitatis Majestas, non minùs ipsi, quàm Imperatori vulgari usu attribui, Lipsis etiam ac tonsoribus notum est) ejusque jura extendas, Majestatis enim in illa significatione juriumque ejus particeps non fit Augusta. *Limnæ. lib. 2. c. 14. n. 25. seqq. Schüz. vol. 1. Diss. 3. 0. ult. lit. C.* cum non in Imperii, sed thori saltem consortium recipiatur: hinc nec Legibus soluta dicitur in *d. l. 31.* eò scilicet modo, quò Imperator, qui solutus est Legibus Civilibus subditis latis, quia suprà illas est, earumque causa efficiens existit; Augusta verò, quibus legibus non obligatur, privilegium habet, indultu mariti obligationi exempta, non verò solvitur ipsa per se ex sui statûs conditione. Henning. *d. l. unde & quid de quæstione: An in Augustam crimen læsæ Majestatis committatur?* sentiendum sit, facilè est judicare; nimirum, non committi in eam principaliter, directè & immediatè, cum non habeat Majestatem, quæ directè in ea lædi queat; perpetrari tamen in Augusta ejus persona scelus illud mediatè, & per reflexionem, quatenus per illam læsam ipse videtur lædi & impeti Cæsar, Conjugis injurias pro suis reputaturus, nec aliter, quàm si in ipsum peccatum esset, interpretaturus, *Limnæ. d. c. 14. n. 29. seqq. Ziegler. d. jur. Majest. lib. 1. c. 2. n. 32. Henning.*

ning. ad Becker. *lib. 2. c. 5. in fin.* Illa ergò Jurium communica-  
tio, intelligenda potissimum de illis Juribus, Privilegiisque, quæ  
intuitu dignitatis vel eminentis fastigii Imperatori competunt,  
Conjugi salvò jure Principatus, citra immunitationem Superiorita-  
tis, tribui queunt, & Augustæ conveniunt. vid. Fritsch. *d. tr. c. 7.*

## XII.

Quartò, ulteriùs prædicto in significato Illustrium nomine  
veniunt, Sacri Romano-Germani Imperii Archi-Principes, Ele-  
ctores, ab eligendi Imperatoris vel Regis Romanorum potestate,  
ex antiquâ consuetudine A. B. firmatâ, ipsis competente sic de-  
nominati, qui post Imperatorem Nobiliores Reipubl. Romano-  
Germanicæ partes sustinent, *massen Ihre Hoheit und Autorität/  
mit eines Röm. Keyfers Gewalt und Hoheit/ daher sie fließt/  
dermassen verbunden/ daß eine ohne die andere nicht verschmäl-  
tert werden/ auch ohne die andere nicht bestehen kan/ ut habet  
Decretum Cæsareum die 20. Julii anno 1590. apud Bruningium  
de var. Universit. Specieb. conclus. 10. Und auff Ihnen/ als des  
Reichs Haupt. Ständen und Grund-Festen/ das Reich vor-  
nehmlich beruhet und bestehet/ ut in Conventu Ratisbonensi 1630.  
Electores de semetipsis locuri in Mantissa ap. Limnæ. ad Capit.  
Ferdinandi II. pag. 614. hincque dicuntur Obriste Vätter und  
Rathgeber der Teutschen Nation/ apud Hortleder. de Caus. Belli  
Germanici lib. 1. cap. 37. pag. 272. Innerste Rätthe/ in dict. Man-  
tissa ap. Limnæ. d. 1. Das vornehmste/ höchste und geheimste  
Raths-Mittel eines Römischen Keyfers/ in Manifesto Palatini  
ap. Lundorp. ad ann. 1637. pag. 40. & 42. Vorderste Glieder des  
Reichs/ in Capit. Carol. V. art. 4. Innerste Glieder/ in Capit.  
Ferdinandi II. art. 41. Haupt-Säulen des Reichs. in d. Capit.  
Ferdinandi II. citat. art. Leopoldi art. 46. quæ appellationes re-  
spondent illis, quibus ab Imperatore Carolo IV. in A. B. ornan-  
tur, elogiis, dum ab ipso vocantur Palmites Imperiales & Propin-  
quiora membra Imperii in A. B. proæm. & cap. 2. §. 5. candelabra  
lucentia, quibus in unitate Spiritus Sacrum illuminatur Impe-  
rium d. proæm. Solidæ bases Imperii, Columnæ proceres & im-  
mobiles, quæ sacrum Imperii ædificium circumspexæ prudentiæ  
pietate sustentant. cap. 3. §. 1. c. 12. §. 1.*

## XIII.

Et hi Archi-Principes nostri quidem expressè titulo Illustrium decorantur in A. B. cap. 5. nec non in Edicto Sigismundi Imperatoris de incompetencia Concilii in judicandis causis Principum Imperii ap. Lundorp. tom. 1. Actor. publicor. cap. 5. pag. 227. ibi: ad nostram & Illustrium Archi-Principum nostrorum Sacri Romani Imperii Electorum pertinere notionem &c. hodiè autem stylo Curix passim ab ipsis Imperatoribus & exteris Regibus Seculares titulo Serenissimi, Ecclesiastici verò Eminentissimi, Reverendissimi, compellantur. Distingui eos ita ratione Statùs, ut tres illorum sint Ecclesiastici, Moguntinus nimirum, Trevirensis & Coloniensis, omnes tres Archi-Episcopi, (cujus ordinis intuitu etiam Ecclesiastici dicuntur, & Proëdriam præ reliquis habent;) simulque Archi-Cancellarii Imperii; Moguntinus quidem per Germaniam, Trevirensis per Galliam (Belgicam nimirum, ad quam Primatus Archi-Episcopis Trevirensibus à Pontificibus per Germaniam & Galliam concessus in Bulla Pontificis Leonis IX. de an. 1049. & Victoris Secundi de anno 1057. apud Kyriandr. *anal. Trevir. pag. 11. fol. 109. & 111.* add. Bernh. à Mallinkrot. de Archi-Cancellar. Imper. lib. 2. cap. 4. disertis verbis restrictus fuit, à quo Primatu ad Archi-Cancellariatum ob similitudinem & identitatis rationem haud improbabile hinc ducitur argumentum, quod tantò magis stringit, quantò certius constat, diploma ista pauca, quæ in Archi-Cancellarii hujus districtu confecta, nec in Regno Gallix data, nec ab Episcopis Regni Gallix tanquam Vicariis subscripta, sed ab Episcopo Luthomisiensi & Cameracensi Præposito vice Archi-Cancellariorum Boëmundi & Cunonis, recognita fuisse, vid. Mallinckrot. pag. 37.) & Regnum Arelatense, Coloniensis per Italiam; Ille jam à tempore Ottonis M. (quippe sub quo per illius filium Wilhelmum, Archi-Episcopum tum temporis illius loci, Dignitas Archi-Cancellariatus Imperii, secutis temporibus ad Germaniam restricti, Archi-Episcopatui illi appropriata, & hereditaria quasi facta. Mallinckrot. p. 29. seq.) Iste probabiliter à temporibus Friderici II.; hic verò à temporibus Friderici I. Dn. Præses *Introd. Sect. 1. c. 8. n. 1.* Quinque autem Seculares, Rex nimirum Bohemix, qui simul Sacri

Ro.



Romano-Germanici Imperii Archi-Pincerna, Elector Bavariæ, qui Sacri Romano-Germ. Imperii Archi-Dapifer, Saxonix, qui Sacri Rom. Imperii Archi-Mareschallus, Brandenburgicus, Sacri Rom. Imperii Archi-Camerarius, Palatinus Rheni, qui Sacri Rom. Imperii Archi-Thesaurarius simul, hospitibus etiam in Jure Publico hodiè notum est. XIV.

Vixque ampliùs quemquam, vel leviter Imperii nostri status notitiã imbutum, fugere puto, quod hi ad numerum illum quinarium demùm per Pacem Westphalicam Monasterii ac O-Inabrugi conclusam ascenderint, anteaque vigore antiquæ observantiæ A. B. firmatæ eorum quatuor saltem fuerint, Rex Bohemix nimirum, Comes Palatinus Rheni, Saxo, & Brandenburgicus; Postquàm videlicet Elector Palatinus Fridericus V. à Statibus Regni Bohemix in locum Ferdinandi Austriaci, jam antè anno 1618. recepti, & sub imputatione non servatorum juratorum pactorum, sequenti anno 1619. ubi jam tum quoque in Regem Hungariæ & Imperatorem Romanum electus esset, iterum rejecti Regis, conspirantibus suffragiis Rex Bohemix renunciatus, sed prælio in Monte albo propè Pragam anno 20. hujus Se-culi vergente commisso superatus, ac non modò castris; sed Regno quoque simul à Maximiliani Bavari, Ferdinando militantis, copiis exutus, imò mox etiam avitis ditionibus & Electorali Dignitate à Ferdinando Cæsare, vibrato in ipsum sine Electorum tamen consensu banni fulmine, privatus esset, dignitate Electoria, dissuadente ac cum Brandenburgico dissesum suum per literas postea publicè testificante Saxone, in Maximilianum Bavariæ Ducem translata; atque hanc, ob ignominiam Palatinus ubi vis de Patronis circumspiceret, mortuoq; ipso primogenitus illius filius cum reliquis fratribus causam omni conatu prosequeretur, & eam Gustavus Adolphus Rex Sueciæ, eò autem defuncto, ejus Filia Christina, unà cum Ludovico XIII. & postea ejusdem Successore Ludovico XIV. Gallix Regibus, graviter defenderet; Ab his enim res eò deducta, ut post longa & proluxa certamina, quorum contextum & seriem explicat Tobias Pfannerus in *histor. Pacis Westphalicæ lib. 3. n. 82. 91. & lib. 4. n. 14. 15. 31. 63. seqq.* in Tractatibus dictæ Pacis Westphalicæ tandem conclusum fuerit,

rit, ut Bavarus quidem in suo, per Investituram anno 1623. ipsi jam factam, quæsito Electoratûs Jure, & inter Electores Seculares secundo ordine permaneret, Palatinus verò novum, eumque ordine ultimum Electoratum obtineret, duraturum quousque Bavarica sive Wilhelmina in Masculis duratura esset linea; Si autem contingeret fortè lineam Wilhelmianam intermori, superstite Rudolphina, Dignitas Electoralis cum Palatinatu Superiori omnibusque Juribus & pristino loco ad hanc rediret, octavo Electoratu iterum abrogato. vid. Instrumentum Pacis *artic. 4.* insecta postea quoque inter hos duos de officio Archi-Dapifarix peculiari transactione, quâ illud cessit Bavaro, Palatinus verò officium Archi-Thesaurarii nactus est; Dn. Præses *Introd. in J.P. Sect. 2. c. 3. num. 5. 6.* Quæ Johannem Palatium, cum Anno 1671. Tractatum suum *sub titulo Aquila inter Lilia*, ederet, ignorasse, quod sanè exinde sequi videtur, quod *libro 1. cap. 5.* in univ. VII. Electorum mentionem tantum faciat, omisso planè Bavaro, cui non mirum videatur?

## XV.

Quintò, porrò accensentur Personis Illustribus, voce Illustris in arbitrario vel oratorio sensu acceptâ, Principes, voce hac quoque latius sumtâ, ut non modò eos designet, qui ob defectum alius specialis Characteris, in specie & in singulari significatione Principes vocantur, quales Anhaltini, suprâque relati novi Principes maximam partem; sed omnes in Principali fastigio constitutos comprehendat; Sunt autem Principes hi in Imperio nostro, perinde ut Electores, vel Ecclesiastici, vel Seculares. Ecclesiasticorum quoad Statum Imperii nostri tres sunt Species. I. Archi-Episcopi. II. Episcopi. III. Abbates & Prælati, qui, quatenus tales, maximam partem Ordinis Sancti Benedicti, tanquam primum in Germaniâ nostrâ recepti, adeoque ante reliquorum Ordinum accessionem potissimis Regalibus bonis ditati. vid. *Conring. in not. ad Lampad. p. 3. c. 6. §. 3.*

## XVI.

Archi-Episcoporum ad Imperium nostrum pertinentium, præter tres Ecclesiasticos Electores, quos jam suprâ vidimus, quinque fuere, hodiè autem non nisi duo supersunt, Salisburgensis nimirum

mirum (qui singularem titulum, Legati Apostolici nati à tempore Gebhardi Episcopi XXVII. & respectivè Archi Episcopi XVIII. ex Comitibus Helffensteiniis oriundi, ac Anno 1088. mortui, obtinet, referente Hundio in *Metrop. Salzburg. edit. à Gewoldo edita & illustrata part. 1. fol. 7. seq.* & qui impræsentiarum Archi-Diœcesin hanc moderatur, estque Reverendissimus Maximilianus Gandolphus ex Illustri familia Carinthiaca de Khuenburg genus ducens, nuper à Pontifice Maximo die recuperationis Budæ fatali haud sine omine cum aliis Præsulibus Galero Cardinalitio donatus fuit, uti hebdomadarix nobis retulerunt novellæ) & Vefontinus, quem quidam jam Gallici Juris factum esse opinantur, sed male; Nam ei non modò Anno 1651. cum Vefontium Imperialis olim civitas Hispaniarum Regi promovendæ restitutionis Frankenthalii ergò cederetur, Jura sua, liberaque & Imperialis immedietas facta tecta permanserunt; sed & per Pacem Noviomagensem eadem integra relicta sunt, adedque meritò Archi-Episcopus hic Principibus Ecclesiasticis adhuc dum connumerandus est. Archi-Episcopatus Rigenfis ante seculum jam in Sigismundi Polonorum Regis potestatem transiit. Bremensis Pacificatione Westphalica Regno Sueciæ Jure Feudi Imperialis sub titulo Ducatus cessit. Instr. Pac. art. 10. §. 3. Et Magdeburgensis eventualiter etiam in casum mortis Administratoris, qui eum tum moderabatur, talis declaratus est, Anno 1681. morte illius insecutâ, plenè in Ducatum & possessionem Electoris Brandenburgici abiit vi Instr. Pac. art. 11. §. similiter.

## X V I I.

Episcoporum principali dignitate gaudentium & in Ecclesiasticorum Principum Collegio locum suffragiumque obtinentium, cum Magistro Ordinis Teutonici, qui in sessione Comitiali inter illos sibi primum vindicat locum, non tamen sine contradictione Bambergensis Episcopi, hodiè post pacificationem, Lubeccensi tanquàm Evangelico connumerato, sunt viginti duo; nimirum Magnus Magister Ordinis Teutonici, cum quo, ut dictum, competit Episcopus Bambergensis, qui nulli Archi-Episcopo subordinatus, sed immediatè Pontifici Romano subjectus est, indeque etiam Archi-Episcoporum insigni, Pallio sc., fruitur, Episcopus Würz.

Würzburgensis, Wormatiensis, Eichstadiensis, Spirensis, Argentoratensis, Constantiensis, Augustanus, Hildesiensis, Paderbornensis, Freisingensis, Ratisbonensis, Passaviensis, Tridentinus, Brixienfis, (hos duos Episcopatus mit dem Gottes Haus **Murbach** Domus Austriaca sub protectione habet, eosque planè eximere conatur, de quo negotio variè actum in Comitibus. vid. *Recess. Imp. de Anno 1548. §. nach dem auch in der 2c. Limnæus tit. 1. addit. ad l. 5. cap. 2. n. 40. versu. quod sub Domus Austr. protectione*) Basileensis, Leodiensis, Osnabrugensis, Monasteriensis, Curienfis, Lubeccensis. vid. *Franc. Iren. ad Burgold. p. 1. D. 20. p. m. 187. seqq.*

## XVIIII.

Abbates & Prælati Principali fastigio eminentes, & hinc similiter in Collegio Principum Ecclesiasticorum, quando Comitatus Imperii aguntur, locum votumque obtinentes, sunt: Abbas Fuldensis, Campidonensis, Elwangelensis, Murbacensis, Luderensis, Præpositus Berchtesgadensis, Weissenburgensis, quam Præposituram ordinariè administrant Episcopi Spirenses, Prumiensis, cujus perpetua administratio spectat ad Archi-Episcopum Trevirensis; Stablonensis, Corbejensis, Reichenaviensis, quem repræsentat Episcopus Constantiensis; His accensetur Magister Ordinis S. Johannis in Germania, à Carolo V. inter Principes Imperii relatus, à *Limnæo lib. 1. cap. 7. num. 49.* quoque Abbas Hirsfeldensis annumeratur, sed hic per Instr. Pac. Princeps Secularis factus à Landgraviis Hasso-Cassellanis in Scamno Principum Secularium repræsentatur. Abbatissarum quædam quidem etiam Principali dignitate gaudent, nihilominus tamen sub Prælatorum simplicium Collegiis modò continentur una cum reliquis & cum dictis Prælatibus omnes curiatim tantùm suffragia in Comitibus Imperii ferunt, suntque in universum Abbatissæ seqq. *Quedlinburgensis, Effensis, Buchaviensis am Federsee / Andlaviensis, Lindaviensis, Herfordensis, Gernrodensis extracta à Principibus Anhaltinis, Monasterii inferioris Ratisbon. Monasterii superioris Ratisbon. Burgscheidensis, Gandersheimensis, extracta à Ducibus Brunsvic. Rotenmonasteriensis, Scholastica in Heybach / Scholastica in Baine.* Plura de his videsis ap. *Casp. Bruschiu de omnibus Germaniæ Archi-Episcopatus & Episcopatus.*

## X I X.

Secularium Principum latè sic dictorum in Imperio nostro VII, sunt species: Archi-Duces, Duces, Comites Palatini, Marchiones, Landgravii, Burggravii, Principes in specie sic dicti.

Archi-Ducali (voce non in Historica vel Oratoria, sed legali vel curiali significatione, quâ scilicet Principem, qui tali prærogativa & titulo ex privilegio, vel hereditario Jure gaudet, denotat, de quo vid. Bœclerus *Not. sacr. Rom. Imper. lib. 7. cap. 2. usurpatâ*) Dignitate in Imperio nostro sola Domus Austriaca à longo jam tempore præeminet, primum post Electores intuitu ejus obtinens locum, quæ ortum trahit à Rudolpho Comite Habsburgico Anno 1273. Imperatore creato, sub Maximiliano I. ejusque filio Philippo I. tot opulentissimarum Provinciarum & regionum accessione locupletata, dum dictus Maximilianus Friderici III. Imperatoris filius & postea unicus heres, per felicissimum matrimonium cum Maria, Caroli Audacis Burgundiæ Ducis etiam unica herede, initum, Jus uxoris in Ducatum Burgundiæ, re ipsa autem Comitatum Burgundiæ liberum, Gallis Franche Conté dictum, (nuperâ Pace ab Hispanis Galliarum Regi cessum) & Provincias Belgii XVII.; dictus ejus filius Philipp. verò etiam unicus heres cum uxore Johanna, Ferdinandi & Isabelli Catholicorum Hispaniarum Regum filia, & postmodum etiam unica herede, Arragoniæ Regnum, eique connexa Hispaniarum Regna, & ejus natu maximus filius Carolus, postea Imperator factus, & Quintus dictus, Lineæ Burgundiæ sive Hispanicæ conditor, ab avo materno moriente Anno 1516. per testamentariam successionem reliqua, adedque omnia Hispaniarum Regna acquisivit, (ut videre est apud Bircken in *Historia Austria lib. 16. cap. 18. num. 5. fol. 1342.*) & ad posteros suos hodierno die adhuc florentes, transmisit. Alter verò ejus Filius Ferdinandus I. Lineam Germanicam, Archi-Ducum Austriæ in specie sic dictam, tot Gloriosissimorum Imperatorum, qui hætenus felicissimè regnarunt, & per DEI gratiam in futurum porrò quoque maximâ cum laude regnaturi sunt, altam sive sæcundam genetricem, propagavit; ubi silentii peplo non involvendum à Birckenio prædictæ *Austr. Historia lib. 3. c. 3. fol. 264.* in dicti Rudolphi I. posteritate usque ad Annum 1668. nu-

G

merarij

merari Impetatores XX. Reges in Hispania V. in Gallia XIV. in Anglia X. in Hungaria XVI. in Bohemia XVII. in Polonia X. in Suecia IV. in Dania IX. quæ felicitas forsitan vix ulli unquam contigit familiæ. De reliquis ditionibus Inelytæ Domus Austriacæ, unde ejus dependet potentia, earumque acquisitione videsis *Limn. l. 5. c. 2. ibiq; add.* Originem quoque Archi-Ducalis illius dignitatis & tituli, quæ ob sententiarum divergia ferè incerta est, aliis evolvendam relinquimus, & magnam quidem jam dum in negotio hoc industriam adhibuit novissimè Johann Ludovicus Schönleben. *part. 2. d. Orig. Domus Austr. cap. 7. §. 1. pag. 104. seqq.* ad quem B. L. remittimus.

## X X.

Duces olim sub regno Francorum nil nisi Provinciarum Rectores fuere, ut ostendit Beat. Rhenanus *lib. 2. rer. Germanicar. pag. 157.* plura de primo eorundem apud Francos & Germanos personali statu & dignitate, consignarunt Vadianus *lib. 1. d. Colleg. monast. in Germ. Vet. Lezner. in Chron. Dasselensi lib. 1. cap. 1. Lehmann. in Chron. Spir. lib. 2. cap. 16. Alteserr. d. Ducib. & Comitib. Provincialib. lib. 1. c. 5.* sub Conrado I. & Ottonibus deinde Provincias Ducatum nomine, Feudi titulo, hereditario Jure possidere cœperunt. Sunt ergò hodiè Duces, Principes, qui ab Imperatore cum illo emblemate, de Ducatu vel noviter erecto, vel per Familiæ Ducalis extinctam generationem aut alio quoquo modo vacuefacto, investiti sunt. Eminuerunt & eminent partim adhuc in Imperio, hõ: sub titulõ, Duces Bavarix, Saxoniæ tam Superioris, quàm Inferioris, Lauenburgici vulgò dicti, Brunschwigo-Lüneburgenses, Franconiæ, quos in titulo sistit Episcopus Herbipolitanus, cui tamen de eo controversia movetur ab Electore Moguntino & Saxone, nec non Episcopo Bambergensi & Marchionibus Brandenburgensibus *Limnæus Tom. 4. lib. 3. cap. 3. num. 10. Knichen. d. jur. territor. cap. 4. num. 336. seqq.* Duces Lotharingiæ, Burgundiæ, quos hætenus Rex Hispaniarum repræsentavit, Angriariæ, qui sistuntur ab Archi-Episcopo Coloniensi, Pomeraniæ, quos jam sistunt Rex Sueciæ & Marchiones Brandenburgenses, Würtembergici, Mecklenburgici, Juliaceses, Clivenses, Montenses, quos tres repræsentant Marchiones Brandenburgici & Comites Pala-

Palatini Neoburgici, qui terrarum possessionem occuparunt, contradicentibus tamen & restitutionem earum sibi intuitu concessæ expectantiæ faciendam prætendentibus Saxonis, qui quoque ab ipsis Imperatoribus titulo Ducum Juliacensium, Clivensium, & Bergensium, ob impetratam jam olim Investituram provisionalem, honorantur, quo reliqui in literis non afficiuntur; Duces Sabaudix, Holfatix, Magdenburgici, qui sunt Marchiones Brandenburgici, Bremenses & Verdenses, quos sistit Rex Sueciæ; Venerantur etiam Imperium adhuc dum nonnulli in Italia domicilium habentes Duces, ut: Mediolanenses, quos repræsentat Rex Hispaniæ, Magni Duces Florentiæ, Mutinæ & Regii, Mantuani, Montisferatenses, Mirandulanus, qui Ducis titulum non adedè diu magnâ pecuniæ summâ ab Imperatore redemit, teste Petro de Avit. tom. 3. descriptionis Europe, pag. 24. citato Dn. Eybenio de titulo Nobilis §. 13.

### X X I.

Comitum Palatinorū, (qui olim Officiales Palatii Cæsarii, Judicesque quasi Regii in Aulis Imperatorum constituti, curam simul Patrimonii atque Ærarii Regii gerentes, fuere, ut videre ex Gutter. de Officio Dom. Augustæ lib. 1. cap. 17. & lib. 3. cap. 24. Capit. Caroli M. lib. 3. cap. 77. Aventinus lib. 4. annal. Bojar. pag. 296. seq. postea simul particularibus regnis & Provinciis regendis præfici cœperunt, ut indicat Sarisberiens. Epist. 263.) Dignitas primo tempore perinde ut Ducum vicaria saltem & personalis, ab Imperatoribus pro delictis & meritis ab una persona & familia ad aliam atque aliam translata, fuit. Marquard. Freherus de Originib. Palatinis p. 1. cap. 11. successu temporis autem æquè ac cæteræ Dignitates Regales hereditaria facta, maximisque & splendidis privilegiis condecorata est, & licet quondam hujus nominis & dignitatis plures in Imperio fuerint, illi tamen temporis tractu usque ad Comites Palatinos Rheni extincti sunt, Saxonico Alstedano Electoratu Saxonico incorporato. Horum autem Comitum Palatinorum ad Rhenum familia è florentissimis Germaniæ Stirpibus est, de cujus origine & variis divisionibus vid. Dn. im Hoff. Notit. Histor. Herald. Genealog. Procer. Imper. lib. 4. c. 1.

## X X I I.

Marchiones nomen acceperunt à Marchiis, hoc est, limitaneis Provinciis, quibus tuendis ac defendendis ipsi præfecti. Nam constat à Veteribus Imperatoribus adversus exterorum hostium incursus, ad imitationem antiquorum limitaneorum præsidiorum, Marchias institutas, iisque certos Præsides cum necessariis copiis ad illas ope Incolarum defendendas, qui Marchionum sive Margravorum nomen inde retulerunt, præfectos, ac in Italia quidem primùm ejusmodi Marchias constitutas esse apparet ex iis, quæ tradit. Sigon. *de Regno Ital. lib. 4. p. 90.* Sabinus *de appellat. & Situ March. Brand. pr.* in Imperio verò nostro postea tales quoque variis in locis ordinatas fuisse Historiæ passim testantur. An verò in Imperio Marchiones demum Henrici Aucupis & Ottonis M. tempore introducti fuerint, sub Carolo Magno adhuc ignoti, ut multi opinantur vid. Du. Joh. Frideric. Rhetius *de stat. Roland. c. 3. n. 10. & de subdit. Imp. c. 3. n. 237.* num jam tum Caroli Magni temporibus noti & constituti etiam fuerint, ut sanè evincere videntur Annales Regum Francorum *ad annum 788.* Marchiæ Foro Juliensis, nec non Annales antiqui Austriæ *Anno 798.* apud Lazium *de Migration, Gent. l. 7. fol. 246.* Marchionis Orientalis terræ, Geroldi, mentionem facientes, & quod Aventin. *lib. 3. p. 151. & lib. 4. p. 196. 200. seq.* Carolo Magno institutionem Marchiæ Austriacæ adscribit, quod etiam facit Cario *lib. 4. Chron. & Laz. de migrat. Gent. l. 3. p. 45.* ubi & Marchionem Istriæ refert, ac Carolus ipse in Constitutione *anni 804.* de Regia Imperii Transalpini sede ap. Goldast. *tom. 2. Const. Imp. fol. 6.* meminit, se in illius confectione Duces, Marchiones, Comites in Consilium adhibuisse, Similiter Ludovicus Pius in Diplomate apud Laz. *d. l. 7.* narrat, post mortem Patris quosdam institutos Marchiones loca Ecclesiæ Pataviensi donata alienasse & sibi subicere conatos fuisse; in medio relinquimus, monuisse contenti hos tuendis limitibus Imperii præfectos Marchiones, temporis successu etiam, ut Duces, Provinciarum sibi commissarum hereditarios Dominos (utiles) factos, deque iisdem ab Imperatoribus cum Regali dignitate sub nomine Marchionatum investitos ac Ducibus & Principibus pares æstimatos esse. Inclaruere hoc nomine imprimis Marchiones Bradenburgici



burgici hodiernum insigniter florentes, Marchiones Misniae, qui hodiè à Ducibus Saxoniae repræsentantur; Marchiones Moraviae, quos sustunt hodiè Reges Bohemiae; Badenses & Hochbergenses, Marchiones Lusatiae, quorum titulum hodiè gerunt Austriaci & Saxo; Marchiones Numeni, & Pont à Mousson, quorum vices Duces Lotharingiae sustinent &c. Abusivè verò & indignè hoc titulo utuntur Italicae & Gallicae Marchiones, ex quibus plerique saltem antiqui & divites Nobiles, infra Comites hinc positi, ut de Regno Arelatensi & Provincia in specie ex Luca de Penna refert Fichard. *vol. 1. consil. 77. n. 8.* quò pertinet, quod Lansius in *Oratione contra Italiam* refert, Scriptorem quendam jocosè narrare, se cum cordolio vidisse in Italia 30. Marchiones in fico arbore famem ficis depellentes.

## XXIII.

Ut verò Marchiones limitaneis, sic Landgravii in medietullo regni sitis Provinciis regendis præfecti fuere, & postea temporis successu perinde ut illi, & Duces, earundem (utiles) Domini jure hereditario facti sunt, ab Imperatoribus de illis sub caractere isto cum Regali dignitate investiti. Sunt autem illorum in Imperio duæ classes: Alii Principum, alii Comitum & Baronum dignitate saltem gaudent, titulum Landgraviorum, titulo Comitum etiam hinc postponentes; Priori in classe sunt Landgravii Hassiae utriusque, cum Ducibus Saxoniae & Marchionibus Brandenburgensibus pacto confraternitatis, quoad istos ab Imperatoribus confirmato, innixi, vid. *Limnae. l. 4. c. 8. num. 161. ibique addit.* Landgravii Alsatiae; Thuringiae, qui à Ducibus Saxoniae, & Leuchtenbergici, qui à Ducibus Bavariae hodiè repræsentantur. In posteriorem classem pertinent Landgravii Bareses & Stülingenses, quorum nomen & titulum referunt Comites Fürstenbergici lineae Blombergensis, Landgravii Kletgavienses, quomodo se vocant Comites de Sulz, connumerandi his modò etiam videntur: Landgravii Susenbergici, quorum vices Marchiones Badenses, & Nellenburgici, quos Austriaci sub titulo Marchionum Burgoviae repræsentant. *Reinking. d. Reg. Sec. & Eccl. lib. 1. cl. 4. c. 13. n. 26.*

## XXIV.

Burggravii quoque olim saltem Judices & Præsides certorum locorum, quæ Ecclesiis & Episcopis donata & attributa, fuere, eum in finem constituti, ut causis Civilibus & Secularibus, de quibus cognoscere Episcopis non licuit, præessent. Peucer. *lib. 5. Chronicor.* deinde aliis etiam Castellis Imperialibus ad Episcopos non pertinentibus præfecti, Petr. Albinus *in Chron. Misn. tit. 8.* Sed postquam & ipsi ad anteriorum exemplum jus hereditarium in Burgis sive Castris & adjacentibus terris ac dominiis nacti, eorum nonnulli Principum dignitatem & jura consecuti fuere, ut Magdeburgensis (cujus titulo hodiernum utuntur Serenissimi Electores Saxonix, & quidem soli, exclusis filiis & fratribus, atque accessit quidem Burggraviatus hic Electoratu Saxonico jam Rudolphi I. Imperatoris tempore, collatus Rudolpho I. Electori, Alberti II. ex Imperatoris illius filia Agnete filio, quia autem ab ultimo Ascanix Stirpis Electore, Alberto, pro magna pecuniæ summa Civitati Magdeburgensi oppignoratus fuit, Johannes Fridericus, Elector Saxonix anno 1538. eundem solutis 22000. aureorum redemit, sed, ob intervenientes sæpè cum Administrato-ribus Archi-Episcopatus Magdeburg. & Capitulo controversias, Divus Augustus Elector anno 1579. vi transactionis, interposito Johannis Georgii, Electoris Brandenburgici, & Guilhelmi Hassiæ Landgravii, die 10. Junii de anno 1570. initæ, ab Hortledero *de Causis Belli Germanici l. 5. c. 28.* relatæ, jura Burggraviatus ratione judiciorum Joachimo Friderico, ex Domo Brandenburgica Administratori, ac Capitulo cessit, sibi Successoribusque suis titulo & insignibus cum quatuor ad illum pertinentibus Præfecturis **Gommeru/ Naniß/ Elbenamato ac Gottato** reservatis, beneficiaria lege ab Imperatoribus ita accipiendis) Norimbergensis (quem itidem hodiernum in titulo & certis juribus, sibi in venditione Burggraviatus hujus Senatui Populoque Norimbergensi anno 1427. facta reservatis, referunt Marchiones Brandenburgenses *Limnæ. l. 5. c. 7. n. 3. ibique addit.*) Misnensis, de quo Albin. *in Chron. Misn. tom. 8. Peccenstein. Theatr. Saxon. c. 18. Knichen. Oper. Pol. l. 2. p. 3. Sect. 2. cap. 2. tb. 13.* Stromburgensis, quem repræsentat Episcopus Monasteriensis, in cujus Episcopatu

scopatu ad Lippiam fluvium prope Oppidum Wiedenbruck situm Castrum, quod nomen ei dedit. Hamelmannus in *Chron. Oldenb. p. 2. c. 13.* cit. Knichen. *d. l.* non ut, communiter traditur, *auff dem Hundsruck* inter Simmeram & Crucenacum, ut in hoc & quoad Rineccensem corrigat Dn. Præses tradita *Seß. 2. Introduct. in Jus Publ. cap. 7. n. 18.* Nonnulli dignitatem & jura Comitum vel Baronum saltem acceperunt, ut Burggravii Rineccenses, Kirchbergii, Dhonenses, Gelnhusani, Fridbergenses, & alii omnes à Ganerbiis sive Castri Condominis in Burggravio Castri Ganerbici electi. Killing. *de Ganerb. Disc. 13. 19.*

## XXV.

Principes in specie ita dicti quinam sint, ex Superioribus quodammodo patet, nimirum qui, vel ex Privilegio Imperatorum vel jure sanguinis, principaliter & in specie illa dignitate singulari gaudent, ut Anhaltini, (qui jam à Friderico II. Imperatore in Henrico, Bernhardi Ducis Saxonie filio, Comite Ascario & Ballenstadii, Principes in Harcinia in Anhalt, creati fuerunt, de quibus vid. Im Hoff. *lib. 4. cap. 11.* & Cl. Sagittarii *Historia Princip. Anhaltin. nuper luci exposita.*) & qui hoc & superiori Seculo ad dignitatem illam noviter evecti sunt, de quibus supra; aut ex ordine Cleri in Secularium Principum numerum transierunt, ut Principes Halberstadienses, Mindenses & Caminenses, quos Electores & Marchiones Brandenburgici, Principes Suevinienses & Razenburgici, quos Duces Mecklenburgici lineæ Sueviniensis, Principes Hirsfeldenses, quos Landgravii Hassiæ Casselenses repræsentant, ex novo Pacificationis jure, secundum *Instrument. Pacis art. 12. pr. & art. 15. §. Secundò.* His accensendi, qui nomine *der Gefürsteten Grafen* efferantur, quos ad Comites refert Beker. *l. 3. cap. 6. §. 8.* Sed cum Juribus & Prærogativis Principum fruantur, in Comitibus, si jure Status gaudent, non inter Comites reliquos curiatim, sed inter Principes viritim sententias dicentes, rectius utiq; inter Principes, quam Comites reponuntur: Sunt tales, Hennebergenses, Mompelgardenses, quorum illi à Ducibus Saxonie, hi à Ducibus Würtembergicis repræsentantur, in Comitibus suo voto eo nomine gaudentibus; præter quos in horum

rum

rum censum referuntur Habsburgenses, Tyrolenses, Gorzenses ab Austriacis, Sponheimenses ac Veldenzenses à Palatinis sine peculiari voto in Comitibus representati.

## XXVI.

Et hi omnes hætenus relati, tantis præfulgentes dignitatibus, in communi, oratorio significatu Illustrium nomine veniunt, propriè tamen & curiali stylo, non tantum in Imperio nostro, sed aliis quoque in Regnis, quibuscum nobis maximè intercedere solent negotia, recepto, titulus Illustris in compellationibus & literarum ac Supplicationum inscriptionibus tantum, dignitatis & honoris gradu Principibus cedentibus, Comitibus ac Baronibus tribuitur, ut supra jam dictum, & vel parum in recepta hodiè titulatura informatis aliàs notum est.

Comites autem & Barones (sub quibus continentur & ii, qui se specialiter Nobiles Dominos, *Edle Herren*/ vocant, ut Comites Mansfeldiæ ratione *Heldrungen* in Rec. Imp. de an. 1555, 1570. & 76. Comites Lippienses, qui simul *Edle Herren zu Lippe und Spiegelberg* subscripserunt Rec. Imp. de anno 1570. Comites & Nobiles Domini in Diepholt in Rec. Imp. de anno 1551. Barones de Inhausen & Kniphausen, qui se vocitant Nobiles Dominos in Luzburg, ut videre est in subscriptione Recess. Imp. de anno 1654. sub Comitibus & Dominis Westphalicis & Saxonis; Nobiles Domini de Putliz; Nobiles Domini de Plato, & qui modò paucis abhinc annis titulum hunc cum dignitate ex gratia & concessione Imperatoris obtinuit Franciscus Fridericus, Nobilis Dominus ab Andlern, Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarius Aulicus; aut simpliciter Domini appellantur, ut Rutheni, qui tamen jam Comitum de Plauen titulum habent, Schönburgici, Justingenses, Wertheri &c.) in Imperio nostro sunt duplices, vel enim immediatè Imperio parent, & Jure Sessionis ac suffragii in Comitibus gaudent, vel mediatè eidem subiecti sunt, immediatè autem sub aliis Statibus degunt, eorumque sunt Landsassii. Illi hodiè in quatuor distributi sunt classes, Suevicam, Wetteravicam, Franconicam, & Westphalicam, adeoque quatuor curiata in Comitibus jam habent vota; dico hodiè eos jam quatuor habere vota, nam non aded diu est, quòd tot sint adepti; Ante annum enim hujus seculi qua-  
dra-

dragesimum primum non nisi Suevici & Wetteravici, ratione Proedriæ alternantes, ad suffragia admissi fuere: Cum autem dicto anno 41. Franconici se in pristinum Sessionis & Suffragii jus, quod majores suos neglexisse querebantur, restitui peterent, & voti sui participes facti essent, apertaque ipsis peculiaris Sessio cum jure dicendæ sententiæ fuisset, æmulatione illorum Comites Westphaliæ & Saxonix Inferioris impulsu, in nupero Conventu 1653. idem quæsiwerunt atque impetrarunt. vid. *Limn. tom. 4. § 5. l. 9. c. 1. n. 143.* Ad quamvis classem qui pertineant. vid. ap. *Dn. Præf. Introd. in Jus Publ. Sect. 2. cap. 8. n. 5.* Comitibus & Baronibus his dignitate pares æstimantur Prælati, Statibus Imperii quidem adscripti, non tamen ad Principale fastigium evecti, quos aliàs Prælatos simplices vocant, in duo Collegia seu Scamma, Suevicum nimirum & Rhenanum, divisi, de quibus etiam vid. *Dn. Præses d. Sect. 2. c. 6. n. ult.*

## XXVII.

Imò non Comitibus & Baronibus saltem titulus Illustrium in curiali significato tribuitur; sed etiam Immediatæ Imperii Nobilitati (quæ in tres classes dividitur, Suevicam, nimirum, quæ rursus in quinque loca distinguitur 1. scilicet *Uin der Thonaw / 2. in Hegaw / Bodensee / und Allgaw / 3. am Neckar / Schwarzwald / und der Ortenaw / 4. am Roher / 5. Kreichgaw*; Franconicam, quæ iterum in sex dividitur loca, 1. *Odenwald. 2. Steuertwald. 3. Gebürg. 4. Altmühl. 5. Die Buchen oder Buchenaw. 6. Die Rohr und Wenden / vel die Kohn oder Währen.* Et Rhenanam, quæ in 3. distribuitur loca. 1. *Im Gaw und Wasgaw. 2. Nidero Rhein: Strom / Hundersuck / Eberwald. 3. Wetterau / Westertwald / Rheingaw*; quibus accesserunt etiam Nobiles Inferioris Alsatix in tractu ab *Eslerbach* incipiente, & se ad saltum Hagenoviensem extendente, æqualibus cum aliis hætenùs jurebus gavis, vid. *Dn. Præses d. Sect. 2. cap. 18. n. 3.*) speciali Rescripto clementissimè ab Imperatore Ferdinando III. anno 1654. indultus est, concessit namque Gloriosissimus hic Imperator inclytæ huic Nobilitati, daß Sie freye / unmittelbare Ritterschafft im

im Lande zu Schwaben/ Francken und Rhein-Strom/ auch  
 des Bezircks im Untern Elßaß/ als jedes Corpus, Viertel/ Mit-  
 ter-Ort und Bezircke/ erbettene Directores, Hauptleute/ Rätb  
 und Ausschuß mit dem Prædicat Wohlgeboren und Edel/ Ihre  
 re Mit-Glieder aber/ welche nicht Herzen-Standes seyen/ auch  
 alle die jenige/ so sich bey Ihnen gebührend angeben/ und mit  
 Ihrer Erlaubnus als tichtige Mit-Glieder erkannt/ und or-  
 dentlich auffgenommen werden/ auch Ihren hergebrachten Sta-  
 tutis sich/ wie billich/ gemäß bezeugen/ mit dem Titul Edel/ die  
 aber Herzen-Standes seyen/ Wohlgeborn allergnädigst begabt  
 und versehen seyn sollen. Ut videre ex privilegio Imperatoris  
 Ferdinandi III. sub numero XIII. subiecto Tractatui Johann. Cun-  
 radi Kreidemanni, von des Teutschen Adels / sonderlich der  
 Freyen Reichs, Ritterschafft in Schwaben/ Städt/ Stand re.

## XXVIII.

Cùm autem Privilegia & Jura singularia, quibus intuitu Il-  
 lustris suæ dignitatis gaudent Comites & Barones, item Imme-  
 diata Imperii Nobilitas, tantò magis conspicua sint in Principi-  
 bus Rege Romanorum & Imperatore ipso, quanto majori Illu-  
 stris dignitatis gradu hi illis præfulgent, non possumus non in re-  
 censendo Illustrium jura singularia animum animadvertere ad  
 sensum vocis Oratorium ac historicum, sive, ut loqui solent, arbi-  
 trarium, in quo, si porrò, quoad quædam saltem jura, sub Illustri-  
 bus etiam Civitates Imperiales, quatenus ut persona ficta sive  
 mystica in uno, alterove negotio, in quo Illustres singulari à pri-  
 vatis jure utuntur, interveniunt, comprehendere dixerimus, haud  
 puto nos à veritatis tramite adeò longè recessuros ac aberraturos.  
 Constat enim easdem indubiè t̃q̃ jure Statûs gaudere, atque inde  
 Præ-Nobilibus Imperii Immediatis, prædriam etiam omninò  
 prætere, nec ullo modo eis cedere velle. vid. Limn. tom. 2.

addit. ad l. 6. c. 3. num. 35. Lundorp. Cont. p. 6. lib. 3. c. 43.

seqq. Tob. Pfanner. Histor. Pac. Westphal.

lib. 3. num. 97.

CAP.

## CAPUT II.

De

Privilegiis & Juribus singularibus  
harum Personarum Illustrium.

I.

Consideratis ad satietatem pro instituti ratione Personis, quæ in Imperio nostro Romano Germanico Illustrium nomine communi loquendi usu comprehendi ac intelligi solent, ordo propositus nos ad ipsam recensitionem Privilegiorum ac Jurium eorum singularium, quibus à Personis privatis separantur, ducit.

Prænotamus a. hinc mentem nostram non esse, tractare ac explicare hæc vice Jura Majestatis Sacratissimo Imperatori vigore Majestatis & Imperii ad salutem & decus Reipublicæ tuendum competentia, quæ pro Imperii nostri statu dividi solent, in Reservata & Communicata: Illaque vulgò dici ista Majestatis esse jura, quæ Imperator solus liberè absque Ordinum ac Statuum Imperii consensu exercere potest, qualia sunt: Jus primariarum precum, jus confirmandi Academias, jus creandi Reges, Duces, Principes, Landgravios, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles &c. jus investiendi Status Imperii, jus cognoscendi de controversa Statuum Imperii Sessione & prærogativa, jus cognoscendi de Privilegiis à se concessis, jus cognoscendi de controversiis v. Etigalium, jus ultimæ cognitionis sive extremæ provocationis, jus dandi veniam ætatis, jus famæ restituendæ, legitimandi, moratorias universales concedendi, jus nundinarum solennium, jus dandæ Civitatis, jus Postarum generalium, jus absolvendi à juramento ad effectum agendi vel excipiendi, jus proponendi in Comitibus, quibus accensent alii quoque jus constituendi ferias generales, jus cognoscendi de Feudis Imperii Regalibus &c. Per hæc verò, communicata nimirum, ea Majestatis intelligi jura, ad quorum exercitium Imperator requirere & impetrare tenetur

H 2

Statuum

Statuum Imperii consensum, ità, ut sine eo legitimè requisito & obtento eadem exercere nequeat. Quia autem per leges Imperii fundamentales ad quorundam Jurium exercitium opus habet omnium Statuum consensu, ad quorundam verò exercitium per easdem leges sufficit obtinuisse consensum Electorum, hinc hæc subdividuntur in communicata cum Electoribus tantùm, & communicata cum omnibus Imperii Statibus.

Prioris Generis triplicia iterum sunt, vel desiderant unanimem omnium & singulorum Electorum collegialiter congregatorum consensum, ut jus instituendi, augendi, vel intendendi, prorogandive ve & *Capit. Leopold. art. 21. 22. concedendi jus stapulæ d. Capit. art. 20. vel sufficit majoris partis Collegii Electoralis congregati consensus, ut in jure declarandi aliquem, maximè Statum Imperii, in bannum Imperii. d. Capit. art. 28. jure concedendi Regale monetæ d. Capit. artic. 34. alienandi & oppignorandi bona Imperii artic. 12. Feuda majora Imperio aperto de novo conferendi artic. 30. vel eos separatim literis consensum suum declarasse etiam sufficit, ut in Comitiorum indictione ab Imperatore facienda d. Capit. artic. 17.*

Posterioris Generis vulgò Comititalia dicuntur; Suntq; jus ferendarũ, interpretandarũ & abrogandarũ Legũ constituendæ. Universalium, jus ponderis & mensuræ universalis per Imperium, jus corrigendi defectus monetæ, jus recipiendi quempiam in Statum Imperii & dandi Sessionem ac Suffragium in Comitibus, jus excludendi & suspendendi aliquem à voto & Sessione, jus mutandi vel transponendi ac abrogandi suprema judicia Germaniæ, item judicia Provincialia, Camera nque Rotwilensem, jus belli & pacis nomine Imperii pangendæ, jus indicendi collectas Imperiales, jus foederum pangendorum, jus mittendorum & recipiendorum Legatorum. vid. Instr. Pac. art. 8. §. gaudeant. Capit. Leopoldi, art. 2. 3. 8. 13. 16. 18. 33. 44.

## II.

Nec, secundò, mens est, considerare Jura Territorialia vigore Superioritatis Territorialis Statibus Imperii, & secundum plurimum sententiam, etiam Nobilibus Imperii immediatis, ipsorum



ipforum territoriis, ditionibus, castris, vicis, pagis, &c. competentia, quæ vel circa sacra, vel circa prophana versantur negotia. Hæcque rursus vel Pacis vel Belli sunt: Illa, vel respiciunt Justitiæ administrationem, quo pertinent; Potestas leges Provinciales constituendi, interpretandi sive declarandi, & abrogandi; facultas publicandi edicta, mandata & inhibitiones; ponderum, mensurarum atque ulnarum constitutio; creatio Magistratum; Jus erigendi Dicasteria & Judicia Provincialia ac Aulica; advocandi causas à Judiciis suis, vel ad partis instantiam, vel motu proprio; omnimoda altam & bassam includens Jurisdictio: Vel gratiam, quo spectant Jus concedendi omnis generis Privilegia; Dispensatio circa & contra Leges Provinciales in matrimonialibus, testamentis, contractibus, pœnis; asyloꝝ constitutio, Jus abolendæ infamiæ ex delictis contractæ, restitutio natalium sive legitimatio, facultas concedendi inducias moratorias, institutio nundinarum anniversariarum; Jus conducendi per vias publicas, indagandi, persequendi securitatis publicæ infestatores, Judæos recipiendi; Vel utilitatem & emolumentum Statuum Imperii vel ex bonis communibus vel privatorum quorundam: quo pertinent Jus & Potestas indicendi Collectas Provinciales, Jus Detractionis, sive certam portionem de bonis ex territorio emigrantis, aut hereditate exteris delata in alterius territorium transferendâ, deducendi; Jus percipiendi vectigalia ab Imperatore concessa; item datias & accitias Vini, Cerevisiæ, Carnis, &c. Jura fluminum publicorum, Jura fiscalia, Jus angariarum, & parangiarum, postarum Provincialium, Jurisdictio Forestalis, Jus metalli fodinarum; Ad Belli negotia pertinentia Jura sunt: Jus armandiæ, sequelæ, Jus lustrandi, muniendi Civitates & Castella, constituendi milites præsidarios, Jus metationis, Jus belligerandi, Jus repressaliarum, &c. Hæc, inquam, Jura Imperii & territorii explicare latius animus non est, excederet enim hoc fines instituti, quod est specimen aliquod Academicum saltem, non integrum tractatum, exhibere.

## I I I.

Sepositis ergò Juribus illis, quasi realibus, intuitu Majestatis, Superioritatis & sublimioris Jurisdictionis territorio inhærentis,

ipsis competentibus, magisque potestatem, quam dignitatem eorum respicientibus, illa principaliter considerabimus Jura, quæ Personam magis subsequuntur, & præcedenti capite enarratis Illustribus Personis non tam Imperii, & Territorii, quam Dignitatis, ac Illustrissimæ Nobilitatis, fideique & Legalitatis competunt ratione, ac Principibus, Comitibus, Baronibus, Imperii, vel per specialem concessionem, vel præscriptione aut usu ac consuetudine acquisita sunt. Cum verò jura illa singularia, quibus olim in Imperio Romano à Regno Germaniæ adhuc dum separate Imperator intuitu fastigii Imperatorii utebatur in negotiis ipsi eum privatis intercedentibus, quæ & Conjugi suæ Augustæ maximam partem communicavit, quatenus in Corpore Juris hinc inde sparsa, nunc in Imperio nostro Romano-Germanico Principibus, Comitibus, &c. Imperii, usus & consuetudo communia fecerit, haud opus habemus speciatim Jura Imperatoris, Regisque Romanorum & Augustæ deducere, sed possemus statim generali juri omnibus Illustribus sine differentia personarum communium recensitione defungi, nisi è re videretur, ea quæ Electoribus speciatim præ cæteris Principibus & Ordinibus competunt, prius enarrare.

## I V.

Distinguiamus ea, melioris ordinis gratiâ, in Generalia universis Electoribus (præterquam quod Bohemus à nonnullis eorum jam excludatur) communia, Specialia alterutri illorû ordini, Ecclesiasticis nimirum vel Secularibus, seorsim competentia, Specialiora nonnullis ex altero ordine in specie quæsitâ & confirmata, ac denique Specialissima singulis speciatim concessa.

## V.

Jura Generalia omnibus Electoribus communia, ipsis loco eximii præ cæteris Statibus competentia, consistunt in hisce:

I. Quod singulare & primarium Collegium inter Status Imperii constituent, separatimque & peculiarem habeant Curiam, einen besondern Chur-Fürsten Rath / tam in Comitibus Imperii universalibus, quam Conventibus Deputatorum Imperii, eamque separationem à reliquis Principibus cum Jure peculiariis Senatus

Fride-

Friderici III. tempore, ad quod usque in uno eodemque Collegio Principibus conjuncti fuisse dicuntur, cum ille in Comitibus Francofurtensibus adversus Carolum VIII. Galliarum & Matthiam Hungaricarum Reges auxilium peteret, obtinuisse, vulgò creduntur. vid. *Arum. de Comit. c. 4. n. 30.* quod suo relinquimus loco; possent autem forsitan vestigia antiquioris temporis adduci: Sed acriter, saltem quoad Conventus Deputatorum se ei Anno 1654. Augustanæ Confessioni addicti Principes & Status in Comitibus Ratisbonensibus opposuerunt, &, quia in Instrumento Pacis, *artic. 5. §. 18.* cautum, quod in Conventibus Deputatorum ordinariis numerus ex utriusque religionis Proceribus æquari deberet, urserunt, ut, sublata separatione classium, conjunctio Collegiorum fieret, & hoc medio parificatio votorum induceretur, multis adductis rationibus. Verùm non minus acriter Collegium Electorum distinctionem suæ classis ac Jus in separata Curia consultandi, Senatuumque peculiaremque habendi, defendit. Utriusque partis rationes videre licet apud Fritschium *de Conventu Deputator. cap. 6. n. 4. Limn. tom. 5. lib. 9. c. 1. n. 230. pag. 368. Lundorp. Contin. p. 7. lib. 6. c. 333. & c. 368.* Quia autem in dictis Comitibus Lis transigi plenè non potuit, interim Electores mansere in possessione sui Juris acquisiti, invento remedio provisionali, pro paritate numeri Votantium utriusque religionis Statuum obtinenda, quod supeditat Recessus Imperii *de Anno 1654. §. den zwenten Punct. 191.*

II. Illud Jus stabilitur Fraternali eorum Unione, quæ duplex, altera universalis & omnibus Electoribus, excepto Bohemo, communis, Anno 1438. Francofurti ab iis primùm inita, ac anno 1446. ibidem sub Friderico III. Imperatore confirmata, Anno 1502. Gelnhusæ repetita, Anno 1521. in Comitibus Wormatiensibus særiori fœdere renovata & Juramento stabilita, quod modò Anno 1652. mense Novembri iterum sub Ferdinandi III. Imperio contigit, teste Hagemajero *de Comit. cap. 4. Tuldeno, Histor. ad dict. annum pag. 50.* exhibet eam ex Goldasto *Limn. tom. 4. lib. 3. cap. 2. post num. 72. Dn. Thulemar. d. Electorib. cap. 19. n. 34.* altera Particularis ab Electoribus IV. ad Rhenum Vesaliæ superioris seculi Anno 19. inita, & post unà cum priori à Matthia ac subsequen-  
tibus Imperatoribus in Capitulationibus confirmata. Vid. Capit.

Mat.

Matthiæ artic. 5. Ferdinandi II. art. 4. Ferdinandi III. artic. 5.  
Leopoldi art. 6.

III. Ipsi quotiescunq̄ue & quodocunq̄ue necessitas sive casus electionis Regis Romanorum in Imperatorem promovendi emerferit, soli illum eligendi Jus habent, ex antiqua consuetudine A. B. iisdem confirmata A. B. cap. 1. pr. & passim Et possunt quandoque Imperatori invito etiam Successorem dare Capit. Leopoldi art. 36. præscribere etiam hætenus electo Regi Romanorum & Imperatori Capitulationem, quam tamen jam cæteri Status in Comitibus Imperii conficiendam urgent.

IV. Possunt quotiescunq̄ue & quodocunq̄ue volunt, aut Imperii salus, necessitasque, vel Publica, vel Ipsorum & privata, id efflagitat, ubi libet, propria auctoritate, inconsulto etiam Cæsare, Conventus publicos, *Chur-Fürsten Tag* / instituere, & celebrare, in iisque omnes, præter Bohemum, vi consuetudinis ac observantiæ Aureæ Bullæ contrariæ, vel personaliter, vel per Legatos præsentis, non tantum de propriis, sed etiam de publicis vel communibus Imperii negotiis deliberare, nihil tamen in posterioribus per decisionem definire queunt. A. B. c. 12. Capit. Leopold. art. 6. Dn. Præses sect. 2. c. 2. n. 7. ibiq̄, allegati, Rachelius pecul. Disput. d. Comitibus Electoralibus.

#### V I.

V. Licet ipsi Reges non sint, Regibus tamen æquiparantur. Cum enim in Aureâ Bullâ cap. 6. princ. constitutum sit, quod illis in quibuscunq̄ue actibus ad Curiam Imperialem spectantibus eundo, sedendo vel stando nullus alius Princeps, cujuscunq̄ue status, dignitatis, præeminentiæ, vel conditionis existat, nullatenus præferri debeat, sequitur inde omninò illos Regibus, utpote inter quos & memoratos Electores Superioris ordinis intermedius gradus non datur, æquiparari. Et dum non solum Rex Bohemiæ, tanquam Coelector, sed etiam reliqui Electores in talibus actibus cuicunq̄ue alii Principi, quacunq̄ue etiam singulari dignitatis prærogativa fulgenti, quavis de causâ Curiam accedenti, præferri debeant, ut contra Carpzov. de L. Regia German. cap. 10. sect. 7. n. 13. benè demonstrat Limn. tom. 2. addit. ad lib. 3. cap. 2. n. 4. iterum firmiter inde concluditur, eos omnes Regibus æquiparari. Extra  
Curiam

Curiam Imperialem tamen spontè Regibus coronatis cedunt. vid. Capit. Leopoldi. *art. 5. Dn. Præses d. cap. 2. n. 9.*

VI. Imperator tenetur illorum consensum ad habenda Comitatus Imperii per literas & Legationes, non ex dispositione Aureæ Bullæ, ut habetur in Recessu Imperii *de anno 1641. §. 2.* sed ex consuetudine Capitulationibus Imperatorum firmata. Capit. Leopoldi. *art. 17.* requirere, & possunt ipsi etiam Imperatorem de habendis Comitibus admonere, qui ad illorum monitum ea denegare nequit *d. art. 17.*

VII. In aliis quoque maximi momenti rebus expediendis, Imperator eorum consilio & consensu indiget, *vid. §. 1.*

VIII. Imperatori in solenni Curia officia summa cum summo splendore præstant, & illi convivanti singulis, quisque sub baldachinis sive uraniscis, mensis cum summa autoritate & dignitate assident, cum cæteri Principes uni mensæ accumbant, aut adstantes spectent *vid. A. B. cap. 26. 27. 28. Dn. Præses fest. 1. cap. 2. n. 38. seqq. & novissimè Dn. Johannes Christoph. Wagenseil. de Sacri Romani Imperii summ. Officialib. & eor. Subofficialib. ferè per tot.*

IX. Adversus ipsos, tam universos, quàm singulos, crimen læsæ Majestatis committitur, ex dispositione Aureæ Bullæ *cap. 24.* Quod, quo respectu, an proprio ipsorummet, an verò Imperatoris, cujus sanctiores Consilarii & pars corporis existunt, intuitu, adèque mediatè fiat & obtineat? controversum est. Posterius autem communiori calculo approbatur, *vid. Limn. tom. 4. lib. 3. c. 2. n. 3. & ad A. B. d. c. 24. §. 1. Obs. 4. Dieterich. ibid. Fibig. in Vindic. Franzk. Disp. 14. q. semid. 1.* quo respectu tamen illud, etiam in cæteros Status committi rectè dixeris.

X. Concessum ipsis quoque Aureâ Bullâ *cap. 11.* Jus de non appellando & de non evocando, quorum illud ad secundam, hoc ad primam spectat instantiam, illud favorem Electorum, hoc Subditorum commodum maximè concernit. Sed non tantùm hoc jam omnibus, per Capitulationes Imperatorum, *vid. Capit. Caroli V. artic. 15. Leopoldi artic. 17.* Verùm illud quoque nonnullis aliis Statibus commune factum est, *vid. Dn. Præses fest. 1. c. 11. n. 2.* ubi quoque notat Bohemum, Saxonem, & Brandenburgicum Jus suum de non appellando semper in viridi usu conservasse, Mo-

guntino verò, Coloniensi (qui tamen nihilominus Appellationes à sententiis in Petitorio latis, ubi summa 1000. florenos Rhenanos in auro excedit, iterum admiserit, vigore desß Land. Tags Schlusßes de Anno 1655. 15. Maji, teste Annot. Rhodisingii Pandect. Cameralib. lib. 1. tit. 20. sect. 1. pag. 310.) atque Palatino post recuperatum octavum Electoratum, ob diu intermissum ejus usum, ad ipsorum instantiam illud à Ferdinando III. Imperatore renovatum esse, obtinuisse etiam illud ipsum Bavarum post acquisitam Electoralem Dignitatem, & quidem cum extensione ad Palatinatum Superiorem; Trevirensis autem ejusdem renovationem haud desiderasse; sed usum Juris de non appellando limitati & ad summam 500. florenorum Rhenanorum in auro restricti continuasse vid. Annotat. ad Rhodising. d. l. & Blum. Process. Camerali tit. 47. tabella 1.

XI. Principes Imperii communes Feudorum suorum Investituram ab Imperatore suscipientes, Officialibus Imperialis Curiae vigore Aureae Bullae 63. marcas argenti cum uno fertone, qui marcae quadrans est, solvere tenentur, quantum autem hodiè solvant, ex designatione, quam habet Wagenfeilius d. tract. cap. 19. n. 8. cernere licet. A præstanda hac feudali taxa immunes & exempti sunt Electores, per ipsammet Auream Bullam cap. 29.

XII. In Camera Imperii duos Assessores, quot integri aliàs Circuli, quilibet præsentare potest, juxta Schema Instrumento Pacis art. 5. §. 20. & Recess. Imper. Noviss. §. 169. insertum. Plura adhuc dum ipsis per specialia Privilegia concessa fuere, quia autem ea jam aliis Principibus & Statibus usu aut consuetudine, vel concessione expressa, communia facta, sicco pede illa præterimus.

### V I I.

Specialia Electoribus Ecclesiasticis seorsim competentia Jura potissima hæc sunt;

I. Quod sint Archi-Cancellarii Imperii, Moguntinus per Germaniam, Trevirensis per Galliam & Regnum Arelatense, Coloniensis per Italiam, ut supra dictum.

II. Quod ipsi ab Imperatoribus communiter vocentur Nepotes, unsere lieben Neven und Chur Fürsten / (cui autem hæc appell-

appellatio originem debeat, non satis exploratum est, sicut difficile quoque est, adæquatam ejus rationem assignare, plerisque factentibus, stylo Curix eam deberi, quemadmodum Rex Gallix alias Principes Germanix vocet consanguineos, Cousins, Electores etiam aliquos Freres, vid. Dn. Præses *sect. 2. cap. 3. n. 2.* Thulemar. *Octoviratu cap. 8.*) & ex peculiari Pontificio Decreto Anno 1630. 10. Junii à Pontifice Urbano VIII. facto, Eminentissimorum titulo gaudeant.

III. Quod ad Conventus Electorales & Imperii cum pleno Jure, antequam, juxta Concordata Nationis Germanicæ cum Apostolica sede, à Pontifice confirmati & infulati sint, admittantur, quia hinc non ut Episcopi; sed ut Principes Imperii considerantur, quod satis confirmat Praxis Imperii vid. Dn. Præses *sect. 1. c. 2. n. 9.*

IV. Quod Electoratus illorum per electionem legitimam à Capitularibus factam transferantur, & per Investituram Imperatoriam confirmentur, ita, ut electi tamen ante collationem Investituræ ab Imperatore quoque ad electionem Imperatoris, aliosque Imperii conventus admittantur, ex notissima Imperii Praxi. Dn. Præses *d. l.*

V. Quod banno Imperiali non subjaceant *Limn. l. 3. c. 3. in fin.* Quamquam hoc omnibus Statibus Ecclesiasticis Catholicis commune. *Blum. Process. Cameral. tit. 29. n. 184. seq.*

### V I I I.

Specialia Electoribus Secularibus competentia Jura sunt:

I. Quod sint Archi Officiales Sacri Romani Imperii vid. *suprà cap. 1. §. 13.* Eaque officia gesserint antequam Electoralem dignitatem nacti, imò causa fuerint, cur Dignitas Electoralis istis familiis, quæ officiis istis, & ob ea, Authoritate, Reverentia, Potentia, Dignitate, reliquis Principibus præpolluere, acquisita & hereditaria facta sit, quod inter alios indicat *Albert. Stadens. in Chron. fol. 125. Speculum Saxonie. lib. 3. artic. 57. & Suevic. lib. 1. cap. 29. §. 2.* his verbis: *Palatinus eligit, quia Dapifer est, Dux Saxonie, quia Marschallus, & Marggravius de Brandenburg, quia Camerarius, &c.* Certum enim est, Officia ista longè antiquiora esse Dignitatibus Electoralibus, imò tam antiqua, ut eruditi etiam disputent, an primò à

Francis ad Germanos translata, vel ab his primis temporibus usurpata, vid. Bernhard. à Mallinckrot. pag. 168. Tempus autem, quo ex ambulatoriis primò hereditaria postmodum facta, & certis his familiis, quæ hodiè corruscant iisdem, acquisita, definire ferè difficile est, vid. Goldast. *de Bohem. lib. 3. c. 8.* Conring. *de Official. Imper. Rom. Germ. 8. 12. 13.* Probabilis tamen videtur, sententia Wagenfeilii, quam nuper in *laud. tract. de eo exposuit cap. 18. n. 4. seqq.* Investiuntur de iisdem perinde, ut de Electoratibus, non ab Episcopo Bambergeni, sed ab Imperatore, Dn. Præses *sect. 1. c. 8. num. 2.* Wagenfeil. *d. cap. 18.* Subofficiales verò suos, quos eorum intuitu habent, ipsi hodiè investiunt, Dn. Præses *d. l.*

II. Quod ex singulari, nec tunc reliquis Principibus Imp. ita communicato, nunc verò passim & in aliis Principatibus introducto, ac ab Imperatoribus confirmato, Jure primogenituræ in Electoratibus succedant, successione in primogeniti linea tam diu continuante, donec ea in masculis planè deficiat, ac dein ad secundo geniti lineam, hac emortua, ad lineam tertio geniti, & sic porrò transseunte, A. B. *cap. 7. §. 2.* vid. Dn. Præses ibique alleg. *sect. 2. c. 3. n. 7.*

III. Quod annò 18. completo legitimæ ætatis esse censeantur, & pro Majorennibus ac ad Administrationem Electoratûs aliarumque ditionum, nec non ad exercenda alia Jura Electoralia, capacibus habeantur A. B. *d. c. 7.*

IV. Quod successuro in Electoratu, qui infrà ætatem illam est, Aur. Bull. *tit. 7.* proximum Agnatum legitimæ ætatis Tutorem constituat; *Quod num ità fiat, aut factum intelligatur, ut Patri adempta censeatur facultas alium Tutorem Testamento constituendi, an sic, ut liberum ipsi sit, Proximo Agnato præterito, alium, quem velit, per Testamentum Liberis suis Tutorem constituere?* in Familia Palatina superiori & moderno seculo acerrimè disputatum fuisse constat. In sensum priorem autem Auream Bullam interpretati sunt plerique Electores cum Imperatore, testantibus ipsorum literis ad Ducem Neoburgicum Philippum Ludovicum, tanquam Proximum & Seniores Agnatum, in Testamento Friderici IV. Electoris Palatini præteritum, Johanne Bipontino ei prælato, cui quietis publicæ illæ servandæ causa Tutela, apprehensa jam possessione, per Decretum à Rudolpho II. confirmata, exaratis, apud



apud Johann. Zeschlin. *de tutel. Electorali legit. c. 6. n. 113. seqq.*  
 Conferat. Joh. Leonhard. à Pübel *de tutela Electorali c. 7.* Eum  
 itaque posteriori præferendum esse, nulli dubitamus, cum allegatis  
 hanc in sententiam à Dn. Præs. *Seß. 2. c. 3. n. 11.* quibus adda-  
 tur Thomas Merckelbach, ap. Klock. *tom. 1. cons. 6. per tot.* ubi  
 ampliationes & limitationes ejus reperies.

V. Quod virtute Regni & Electoratum etiam ante colla-  
 tam ab Imperatore investituram Regem Romanorum & Impera-  
 torem eligant; (quod fecit Elector Saxonie Johannes Georgius  
 II. gloriosæ memoriæ, qui & Vicariatum gessit, & Francofurti  
 cum cæteris Electoribus Leopoldum I. in Imp. elegit, nondum  
 investitus,) ac ad Conventus quoscunque admittantur. vid. Dn.  
 Præs. *Seß. 1. c. 2. n. 9.*

VI. Sicut Electores Ecclesiastici *Meven*; Sic hi Seculares  
 communiter ab Imperatore, *Oheimen* vocantur, quod tamen  
 non adeò strictè servatum apparet, aus der Handlung des Frie-  
 dens Maximiliani I. de anno 1495. princ. collata cum Ordinatione  
 Regimenti d. A. 1500. tit. *Verbindung der Keyserlichen Maje-  
 stät.* ut vel inde satis pateat, appellationes has merè benevolen-  
 tiæ testandæ causa usurpatis fuisse.

## IX.

Specialius Saxoni ac Palatino (cui hodiè de eo Bava-  
 rus litem movit, & nupero Interregno illud exercuit) Aurea  
 Bulla confirmatum Jus est Vicariatus, ad Interregni incommoda,  
 quæ non minima Germania nostra, præsertim ante Rudolphi I.  
 & Ludovici IV. Electionem senserat, evitanda introductus, vi-  
 cujus ipsi tanquàm Provisores Imperii, Interregni, imò & absen-  
 tiæ Imperatoris nonnunquam tempore, Imperii administratio-  
 nem habent, curaque Pacis & quietis publicæ, justitiæ & redi-  
 tum Imperii illis incumbit, vid. Dn. Præs. *Seß. 1. cap. ult.* ubi  
 de hoc ipsorum jure latius agit.

## X.

Specialissima jura & privilegia

Moguntini sunt: 1. Quod sit Primarius in Collegio, e-  
 usque Decanus ac Director, & idè in Conventibus publicis tam

universalibus, quàm particularibus primum obtineat locum, illos dirigat, & maximâ ex parte indicat. 2. Quod vi transactionis anno 1657. cum Archi-Episcopo Coloniensi initæ, & Capitulatione Leopoldi *artic. 37.* confirmatæ, habeat jus Diadema Regium Imperatoris capiti in sua Diœcesi semper, extra illam ac Coloniensem alternatim imponendi. 3. Tanquàm Archi-Cancellarius Germaniæ cum Imperatore omnes Imperii Recessus, Decreta, Privilegia, & Indulta ab Imperatore concessa, vel ipsemet vel per suum Vice-Cancellarium subscribat & subsignet. 4. Sigilla Imperatoria & Archiva Imperii sub sua custodia & inspectione habeat. 5. Quod Vice-Cancellarius Imperii cum reliquis Officialibus & Ministris Cancellariæ Aulæ Cæsareæ, (minimè verò totum Judicium Aulicum, quanquàm illud visitandi nactus sit facultatem, Instrumento Pacis *art. 5. §. Visitatio. Capit. Leopoldi artic. 42.*) ipsi simul Juramento, fide & obsequio obstricti sint, ceu inesse ab ipso dependentes, ex privilegio Maximiliani I. Imperatoris de *anno 1509. Capit. Leopoldi artic. 40.* 6. Quod ipse solus sit perpetuus itidem Camere Imperialis Visitator, & sententiarum inibi latarum Revisor, cum reliqui ambulatorii saltem sint, Ordinatio Camere *part. 1. tit. 50. §. 1. Instrum. Pac. art. 5. §. 20.* Cancellariamque Camere perinde regat ac Officialibus & Ministris instruat *Ord. Camere p. 1. tit. 26.* 7. Ipsi in Comitibus Imperii universalibus & particularibus, quæ dirigit, Legati Statuum literas credentiales ac Mandata sua exhibeant, quo describantur & Actis Publicis Comitiorum inferantur, Exteri verò Legati & Residentes negotia sua exponant. 8. Postarum Imperialium Directorium & Patrocinium habeat, quapropter ejus Ministri à solvendo literarum vectigali immunes sunt.

Trevirensis 1. Quod sit Primas & Vicarius Apostolicæ Sedis per Galliam Belgicam vid. Kyriander in *Annalib. Trevirens. p. 11. fol. 108. 109. 111.* 2. Quod habeat jus expectantiæ in omnia sub ejus Archi-Episcopatu vacantia Imperii feuda.

Coloniensis; Quod in suo Archi-Episcopatu solum, extra illum verò & Archi-Episcopi Moguntini Archi-Episcopatum cum Moguntino per vices Imperatorem coronet, vi dictæ Transactionis de anno 1657.

## XI.

**Bohemi** 1. Quod ad Comititia vocatus, non teneatur comparere, nisi ea Norimbergæ aut Bambergæ habeantur, secundum Constitutionem Friderici III. referente Goldasto *de Bohem. lib. 4. c. 5. n. 14.* Ast hodiè illum ab omnibus Imperii Conventibus, exceptis iis, quibus novus eligitur Imperator, excludi, constat ex Observantia, de qua testatur Limn. *ad Capit. Caroli V. artic. 4. 2.* Quod ab Oneribus & Contributionibus ad necessitates Imperii hodiè sit immunis, licet ipsum olim de illis suam quoque partem tulisse, velit Limn. *l. 3. c. 8. n. 28. & l. 4. c. 7. n. 67.* quod tamen dubium videri posset ex Protestatione Ferdinandi I. in Publicis Comitiiis anno 1548. interposita, ubi ita: **Daß die Stände der Cron Böhmen/keiner Reichs-Anschlag bekantlich/auch nicht geständig seyen/ daß weder der angezogene Wormsische/ noch ältere Anschlag / mit ihrer Könialichen Majestät löblicher Vorsahren / Könige zu Böhheim/ Wissen und Willen geschehen: Daß Sie auch darinn nicht gehalten/ noch einige Hülff geleistet hätten / auch endlich keine schuldig wären. Zu dem / daß ein König in Böhheim zu einigem Reichs-Tag nicht beschrieben würde/ auch weder Stand noch Stimm im Reich hätte; Darneben/ haben gemeine Reichs-Stände wol zu ermessen/ dieweil die Reichs-Steuren bissher allein auff die Ständ in Zehen Kreysen bestimt / geschlagen wären / und aber die Cron Böhheim in keinem Kreys befunden wird/ so ist dabey leichtlich abzunehmen/ daß die Cron hiebevör mit dem Reich nie gesteuert zc.**

3. Quod Investituram intra Regni sui limites petere possit, aut certè non adigi queat ad illam accipiendam ultra 15. milliaria extra illud proficisci Limn. *L. IV. c. 7. n. 21.*

**Bavari** Jura consistunt in Prætensionibus, quas facit non modò in Vicariatum; sed & alia in Familia Palatina ab antiquo radicata jura.

**Electoris Saxonix.** 1. Quod in Comitiiis Imperii in causis Religionem Augustanæ Confessionis concernentibus, Directorium habeat. Limn. *l. 3. c. 10. n. 33. ibique in addit. Fritsch.* quod Brandenburgicus præten dit, si Elector Saxonix, nec in persona,  
nec

nec per Legatum præfens fit in Comitibus, ut videre est ex iis, quæ habet laudatus Fritsch. *ad l. 9. c. 1. n. 134.* 2. Quod sit Judex & Protector Buccinatorum & Anacaristarum, *der Trompeter und Heerpauker.* *Limn. tom. 5. l. 3. cap. 10. num. 27.* 3. Quod durante Comitibus Jurisdictionem in Familiam Electorum & Statuum Imperii habeat. *Bertram de Comitibus num. 60.* 4. In Comitibus præfenti Elector Moguntinus Schedulam indicatoriam ad congregationem Statuum transmittat, quæ ab eo Vicario suo traditur, cum copia Electores & Status Imperii convocandi.

**Brandenburgici** 1. Quod in suis Provinciis liberè nova vestigalia constituere & antiqua augere, ac rebus ad victum pertinentibus accisias imponere possit, ex Privilegio à Friderico III. Imperatore *anno 1456.* concessio, relato à *Limn. ad Capit. Maximil. II. art. 9. add. Schepliz. ad Consuetud. Marchic. p. 4. tit. 5. §. 3.* 2. Ex ejusdem Imperatoris concessione habet, quòd de Feudis suis, tanquam de bonis allodialibus, disponere possit. 3. Quod Ordinis Sancti Johannis Magistrum per Marchiam, Mecklenburgum, Pomeraniam, Vandaliam &c. creare possit, qui cum Equitibus suis ipsum Electorem tanquam Patronum & Ordinis sui Protectorem vi *Instrumenti Pacis artic. 12.* venerari, eique tempore belli assistere tenetur, vigore Statuti secundi, quod in ipso initiationis actu à Cancellario Ordinis Sonneburgi, ubi Magister ille sedem suam habet, in Ecclesia cum aliis, cuius prælegitur, & ita habet: *Ist ein Ritter dieses Ordens schuldig/ vor das Vaterland tapffer und ritterlich zu streiten/ und seine Chur- Fürstliche Durchleuchtigkeit zu Brandenburg/ als hohen Patrono des Ritterlichen Ordens vor allen andern ausländischen Potentaten in Kriegs- Zeiten zu dienen.* 3. Hæc prærogativâ ipse præ omnibus aliis gaudet, quòd sit Supremus & absolutus Borussiae Ducalis Dominus, vi cuius Supremi per Pacta Velavii in ipsius Serenitatem translati Imperii summè demeritos Calovios, Wickartos, Dennemarckios Nobilitatis præmiis ac privilegiis donavit, ut post *Becmannum in Notitia Dignitatum Illustrum Diss. 11. c. 2. n. 2.* notavit *Dn. Thulemarius, Octoviratu cap. 17. num. 31.*

**Palatini.** 1. Quod sit Imperatoris Judex in Causis Civilibus

bus ex antiqua consuetudine Aureâ Bullâ firmata, Judicium tamen non alibi, quàm in Curia Imperiali exerciturus A. B. c. 5. §. *fin.* vid. Dn. Præses *sect. 2. c. 5. n. 17. seqq.* 2. Quod Nobiles, imò etiam Comites creare possit, teste Frehero ad Petr. de Andlo *de Jure Imp. t. 2. cap. 11.* ubi dicit, jus illud ab antiquo præscriptum & diversis actibus à Palatino comprobatum esse. add. Kirchmeier. *in Nucl. Not. Imp. p. 13.* ubi de exemplo sibi noto testatur. 3. Quod fuerit Conservator Privilegiorum Ordinis Sancti Johannis, vigore Confirmationis Caroli V. de anno 1545. apud Klock. *vol. 1. conf. 9. n. 63.* 4. Quod sit adhuc Protector Fabricorum ærariorum, *des Reßler Handwerks* ad Rhenum & certis Franconiæ locis. Mager. *d. advocat. armat. c. 15. n. 128. seqq.* 5. Habeat jus Wildfangiatus, de quo ipsi à vicinis mota controversia per laudum Regum Galliæ & Sueciæ determinata, quod integrum exhibet Dn. Thulemarus *Octovir. c. 18. n. 39.* 6. Quod possit bona & dominia Imperii à Cæsaribus alienata & oppignorata iisdem conditionibus & eodem precio reluere ac redimere Freher. *Orig. Palat. p. 1. c. 16.* Vietor. *d. Exemptionib. num. 35.* 7. Quod Feuda Imperialia in Provinciis suis vacantia, in liberos usus accipiat, Insulasque in Rheno natas, exclusis adjacentibus Dominis, sibi vindicet ex antiquâ consuetudine. Thulemar. *d. cap. 18. n. 42.*

## XII.

Perlustratis ità Juribus ac Privilegiis Archi-Principibus Sacri Romani Imperii Electoribus, præ reliquis Imperii Principibus, Comitibus &c. jure quasi præcipui competentibus, (ex quibus unum alterumve ipsis vi Electoratum suorum competere, non quidem negamus, sed non potuimus ea commodè separare & omittere, ne manca ac mutila esset tractatio) nunc dispiciemus potiora jura omnibus Illustribus, sine Personarum distinctione, communia, quæ ipsi intuitu dignitatis suæ Illustris ita competunt, ut illis à Privatis separentur, nec hi de eisdem participant.

Venit nobis hic statim in mentem insignis illa differentia inter Sacratissimum Imperatorem, Principesque & cæteros Illustres Imperii Ordines, Comitiorum jure gaudentes, ac Subditos Imperii, tam immediatos, quàm mediatos pari passu jure Comitiorum destitutos, intercedens, ratione obligationis per Recessus Im-

perii,

perii, velut communia Comitiorum Imperii Decreta. Obligan-  
 tur iisdem non minus Imperator & Status Imperii, quorum com-  
 muni consensu ea, quæ in illis continentur, prævia diligenti &  
 accurata deliberatione, conclusa & statuta, inque eam formam,  
 qua conspiciuntur, redacta & approbata sunt, quam jure Comi-  
 tiorum destituti Imperii subditi, quatenus nimirum in illis con-  
 stituta eos concernunt, sed planè diverso obligandi modo; Impe-  
 rator nimirum & Status constituentes, ad constituta in iis, ipsos  
 concernentia, servanda, ex consensu suo tenentur, adeoque iis-  
 dem per modum Conventionis sive Contractus obligantur; Per-  
 ficiuntur enim Negotia Publica in Comitibus Imperii nostri, per  
 modum conventionis & amicabilis compositionis, ut patet ex  
 formula in Recessibus Imperii usitata: **Haben uns** (nämlich der  
**Keyser**) **demnach mit Chur-Fürsten und Ständen des Reichs/**  
**und Sie widerumb mit Uns darüb also verglichen und vereinigt**,  
 vid. *Erklärung des Land-Friedens de anno 1500. princ. Re-*  
*cess. Imper. de dato Trier und Cöllen / 1512. princ. Recess. Im-*  
*per. August. 1518. pr. Wormatiens. 1521. pr. §. Und erstlich*  
**haben** *2c. §. Weiter so haben Wir* *2c. §. Item haben* *2c. & §. si-*  
*mili subsequenti. Recess. Imp. Spirens. 1529. pr. Recess. Imp. No-*  
*rinberg. 1542. pr. Recess. Imper. Ratisbon. 1557. §. So haben*  
**Wir Uns** *2c. Recess. Imper. August. 1555. §. So haben sich der*  
**Chur-Fürsten Råth** *2c. Recess. Imp. 1559. §. Auf daß dann dis-*  
**falls** *2c. Münz-Ordn. de eodem anno. §. Demnach Uns der* *2c.*  
*Rec. Imp. 1570. pr. Rec. Imp. de anno 1641. §. 82. & 92. Recess.*  
*de anno 1654. §. Nach dem auch Chur-Fürsten* *2c. §. Den zwey-*  
**ten Puncten** *2c. cum similib. Valent ergò Imperatoris & Sta-*  
 tum intuitu Recessus confecti in vim conventionis sive contra-  
 ctus, quod satis probant obligatorix illæ in Recessibus eorumque  
 subscriptionibus exprimi solitæ formulæ, vid. *Recess. Imp. noviss.*  
*§. 197. in fin. & 199. add. Rec. I. de anno 1559. §. 85. & seq. add.*  
*Capit. Leopoldi art. 38. Reliqui autem Imperii Cives Imme-*  
 diati jure sessionis & suffragii in Comitibus ferendi destituti, sub-  
 ditique Imperii mediati, iisdem tanquàm Legibus Imperii uni-  
 versalibus ab iis, penes quos est jus Legum ferendarum, ritè con-  
 stitutis & promulgatis obligantur, ipsorum enim intuitu in vim  
 Legum omninò ex constituentium voluntate valent, probanti-  
 bus

bus & id illis passim in Recessibus Imperii occurrentibus formulis;  
 Sehen/ ordnen/ und wollen demnach re. Darumb gebieten und  
 wollen Wir/ daß alle Ständ und Obrigkeiten ob diesem Un-  
 serm Gebott mit allem ernstlichen Fleiß halten re. Et sic duplex  
 hic respectu diversarum conditione & statu planè disparium per-  
 sonarum adest obligatio, altera ex promisso, altera ex præcepto  
 Legis, quæ inter se confundi minimè debent, ut nonnulli impro-  
 vidè faciunt. vid. Magnif. Dn. Maurif. *de Recessib. tb. 30. 22.*

## XIII.

Jus Connubiorum in aliis Regnis, quoad Illustres diversi-  
 modè reperimus coarctatum, dùm in quibusdam Regnis, ne ipse  
 quidem Rex, per Leges Regni fundamentales, absque Procerum  
 consilio & consensu, matrimonium inire potest, sicut hoc in Re-  
 gno Poloniæ observari ex Stanisl. Lubiensky *lib. 1. de motu Civili  
 in Polon. & Andr. Maxim. Fredro. in Reb. sub. Henric. Valesio ge-  
 stis pag. 82.* id Legibus fundamentalibus adscribente, refert Kni-  
 chen. *Oper. Polit. l. 1. c. 1. ax. 2.* subjiciens idem quoque in Sue-  
 cia hætenus obtinuisse, ut constet ex *Reformata Unione Hæredi-  
 taria Regni illius relata in Exegesi Historica, cur Ordines Sigismundo  
 Regi obedientiam renuntiarint, pag. 521. 545.* In aliis autem Re-  
 gnis & Provinciis contra, sine arbitrato & consensu Regis vel  
 Principis, Primoribus nuptias contrahere, vel Filias elocare inter-  
 dictum, sicut in Regno Neapolitano & Siciliae hæc de re extat  
 Constitutio Caroli I. sub Rege Hispaniarum Philippo II. repetita,  
 teste Don Garcia Mastrillo *de Magistratib. lib. 4. c. 13. n. 213.* quæ,  
 si extraneo filia, vel peregrina filio, uxor detur, absque speciali  
 Regiæ Majestatis consensu, privationem Feudi vel confiscationem  
 bonorum secum fert; qualis Constitutio & in Regno Angliæ  
 promulgata; teste Schmitho in *Republ. Anglica lib. 2. pag. 75.*  
 Conferatur Myl. *Gamolog. Person. Illustr. c. 2. n. 4. 5.* ubi & alio-  
 rum regnorum, ut Galliæ & Scotiæ, Leges & Constitutiones pro-  
 hibitivas refert, adductisque exemplis illarum observantiam illu-  
 strat, Minister. Cardinal. Richelii *lib. 3. c. 15. & Reminisc. Polit.*  
 ubi de Gallorum consuetudine. Ast in Imperio nostro Romano-  
 Germanico Illustres omnes à summo ad imum usque hætenus  
 plena Conjugiorum libertate gaudent, ut Imperator absque Sta-

tum, & Status absque Imperatoris consensu, suo pro arbitrio, cum quibus libuerit, non indigenis modo, sed exteris & peregrinis quoque, matrimonia contrahere possint. Myler. *d. l. n. 7. seqq. cap. seq. 3. n. 4. seqq.* Decet autem Principem verè Germanum quemvis in ducenda uxore aliùs, Gallicæ imprimis ac Italicæ, nationis maximâ circumspectione uti, ut prudenter post alios monet Myler. *d. c. 3. n. 8.*

## XIV.

Et sanè si ulla in re, in contrahendo matrimonio certè cautela, prudentiâ, ac circumspectione opus est, ne, si quis genere se superiorem aut imperiosam ducat, ex marito servus, si prodigam, ex Creso Irus evadat, si incautam & mœcham, omnium despectum incurrat, honore privetur, mœror inde ortus ipsum formosum deformem, sapientem stupidum, robustum elanguidum, sanum ægrotum, honoratum spretum, hilarem tristem efficiat; Illustris ergò perinde, ut quivis alius, in Conjugis electione primùm ad virtutes animi, dotes corporis, genus, ætatem, patriam, religionem respiciat, post hæc autem non minimam in id intendat curam, ut per matrimonium contrahendum suas dilatare possit Provincias, & in rebus angustis auxilia inde habere. Non immeritò enim Principum matrimonia pro commodissimis instrumentis Imperia Regionesque connectendi, ac meliores fortunarum suarum accessiones faciendi, omni tempore æstimata fuerunt, Myler. *cap. 4. n. 1.* Modumque hunc acquirendi regna & provincias tantò humaniorem rectè dicit Linn. *ad Capit. Caroli V. proœm. voce: Erb: Herzog. n. 4. pag. 66.* modis illis, quibus per lanceam ferro armatam acquiruntur, quanto basia verberibus suaviora, quanto amor violentiâ, & Liberorum procreatio hominum strage est præstantior. Ac quanta ex hac cautela probè observatâ Augustissima Domus Austriaca, sumserit incrementa, quanta item aliæ Principales Familix, tum in Germania, tum aliis in Regnis, ex historiis constat, & per Exemplorum inductionem ostendit Mylerus *d. c. 4. n. 2. seqq.* subjungens, sæpiùs ferè inter Magnates & Illustres Matrimonia & Affinitates pro utilitate, & ratione ac incremento Status sui, quam ex animorum affectu, contrahi, ut non minùs verè, quàm scitè, hinc acutissimus ille



ille Politicus Johannes Barclajus *lib. 3. Argenid.* sub nomine Melan-  
dri Filium admonentis ac instruētis dixerit: *Privatorum est elige-  
re matrimonia ex amicitia affectu, vel morum concordia. Nobis illa  
Suavitas exuenda est. Regum enim fortuna est, ut nunc indignos &  
exosos per sanctissima fœdera sibi conjungant, nunc omnium nexuum Jura  
omnisq; sanguinis charitatem, inhumana necessitas negligat. Charissi-  
mus esse solet, qui utilitate præcipua potentiam nostram alit, & Affini-  
tates pulcherrimæ censentur, quæcunq; regnum stabiliunt.*

## X V.

Cum autem Parentes semper optimum consilium pro Liberis  
capere præsumantur *l. ult. Cod. d. Curat. furiosor.* haud renuant Il-  
lustrium Liberi. in contrahendis matrimoniis, Parentum quoque  
salubre consilium amplecti, moremque illis gerere, nec citra ipso-  
rum consensum alicui dent fidem matrimonii; Si que Pater Prin-  
ceps Testamento suo caverit, ut Liberi matrimonium iniri,  
contrahant illud cum consilio & consensu Patruī, vel Proximorum  
Agnatorum, Paterna hæc voluntas ipsis sancta & venerabilis  
esto, salvaque custodiatur, nec ad Legatum, quod sub illa con-  
ditione illis relictum est, aliter admittendi, quam si conditioni ad-  
jectæ pareant, eamque adimpleant. *Myler. c. 4. n. 29. seqq.* Sicut &  
si Pater vel Mater Illustris Legatum reliquerit sub conditione, si  
Princeps Filius vel Filia hanc ducat, vel isti nubat, aut non ducat  
istam, nec illi nubat, Legatum tenet per *l. 71. §. 1. d. condit. & de-  
monstrat. l. 63. §. 1. eod.* ita tamen, ut sub pœna bonorum Genti-  
litorum vel Juri primogenituræ subjeetorum Parentibus nec in-  
jungere, nec prohibere Liberorum matrimonia liceat. *Myler. d. c.  
4. sect. 2. n. 24. seqq.* Dispositio quoque Parentum vel pactum inter  
Fratres Illustris inritum, ut primogenitus solus uxorem ducat, quod  
Ducatus, Comitatus, &c. indivisus ad splendorem familiæ conser-  
vandam permaneat, reliqui filii vel fratres annua provisione ali-  
mentorum contenti, cœlibes manere debeant, non admittitur ut  
firma, ac validam & efficacem obligationem producat. *Myler.  
d. c. 4. sect. 2. n. 37.*

## X V I.

Fiunt sæpè à Parentibus Illustribus ex ratione Status despon-  
sationes inter Liberos suos invicem, quando adhuc dum ætate sunt

Infantes, & in cunabilis quoque adhuc vagiunt, quæ salutis publicæ causa v. gr. pro bono pacis factæ valere videri possunt. *cap. 2. X. d. despons. impuber.* etsi inter privatos ante annum ætatis septimum inita sponsalia sint ipso Jure nulla *l. 14. ff. d. sponsalib. cap. 4. X. d. t.* & hæc consuetudo Liberos in cunabilis etiam despondendi, non saltem apud antiquos Cæsares Romanos obtinuit; sed apud Principes Christianos etiam invaluit. Ità Andreas Hungariæ Rex ad corroborandam Pacem cum Henrico III. (IV.) Imperatore conclusam, ejusdem Filiam Sophiam Filio suo adhuc puero Sponsam obtinuit. Hermann. *Contract. in Chronic. ad annum 1059.* Sic & Elisabetha Andreæ Hungariæ Regis ac Comitis Bertoldi de Andechs Filia in Infantia Ludovico Landgravio Hassiæ & Thuringiæ desponsata fuit. Peccenstein *in Chronic. Landgravior. Thuring. de Ludovico VI. anno 1219.* Wolfgango quoque Ludovici Leostenii Filio, Friderici Victoriosi, Comitis Palatini Nepoti, desponsata fuit anno 1503. Elisabetha, Craffii Hohenloici Comitis & Helenæ Ducissæ Würtembergicæ Filia, vix quadrimula, rejectis nuptiis in eum annum, quo nubilis & matura viro futura erat, accessit pœnalis stipulatio, si quis ausus contravenire. Periit autem Sponsus infelix *anno 1512. d. 15. Januarii*, in ipso nuptiali apparatu, arcis Leostenii incendio miserè consumtus, ut ex Authore Stemmatibus Leostin. refert Henricus Salmuth. *in Responso pro matrimonio Principis cum Virgine nobili. in append. q. 3. subjecta. pag. 178.* Pariter inter Alexandrum tertium Scotorum, & Magnum Norwegorum Reges de Hebridibus Insulis certantes, pax facta his legibus: Magnus & Norwegorum Primates omni se Jure Hybridum abdicarent, ac pro eo Alexander quatuor marcarum millia argenti Norwego Regi numeraret, & in singulos annos 100. marcas argenti penderet, Margaritha Alexandri filia vix dum unum annum nata Hagonano Magni Filio in cunis adhuc vagienti, dum uterque ad maturam pervenisset ætatem, matrimonio jungeretur, Henric. Boët. *lib. 13.* Sed dissuadent sani Politici ferè omnes immatura ejusmodi Sponsalia, & Parentes Liberos in cunabiles desponsantes mortale peccatum committere multi arbitrantur vid. Myler. *d. c. 4. sect. ult.*

## X V I I.

Sanguinis Jura in Illustrium Personarum connubiis quidem etiam

tiam sunt attendenda, sed tamen ipsis nuptiæ quandoque permittuntur, quæ privatis vetantur, quia parem thori sociam non tam facile inveniunt, ut privati, multaque Principibus & Personis Illustribus (ad quas Leges Positivæ humanæ de graduum prohibitionem haud ita, ut ad privatos, spectare videntur, quia iisdem sunt Superiores,) conceduntur, quæ aliis denegantur Ludov. à Schora Jus Lovaniens. Sacr. Cæsar. Maj. Consil. apud Kirchoy. vol. 3. conf. 3. q. 3. n. 9. modò tamen non ambiant nuptias, simul Jure Divino Morali seu Naturali prohibitas, quales sunt, quæ contrahuntur in gradibus *Levit. 18. & 20.* prohibitis, illæ enim omnibus indistinctè sunt interdictæ, nec ulla ibi dispensatio, vel ab Imperatore, vel à Pontifice, vel à Concilio, locum invenit, quoniam nulli hominum in Divinas & Naturales Leges concessum est à DEO Imperium, ut demonstrat Havemann. *Gamolog. lib. 2. tit. 7. reg. 2.* Brochmann. *in System. Theolog. art. 43. cap. 4. q. 50.* Carpz. *Jpr. Conf. lib. 2. t. 7. d. 109.* Quod Pontifices & Pontificii Scriptores saltem ad lineam rectam restringunt, ut videre est apud Vallengem *in Paratit. Jur. Can. lib. 4. tit. 14. §. 1. n. 5.* (imò Ferdinandus de Castro Palao *part. 5. Oper. moralium disp. 4. punct. 7.* nec in illa linea ultra quartum gradum matrimonium indispenfabiliter prohibitum esse asserit;) indeq; dispensarunt Pontifices, ut Henricus VIII. Angliæ Rex Catharinam, Ferdinandi Catholici Regis Hispaniarum Filiam, Fratri suo Arthuro desponsatam & primo conjugii anno viduatam, duxerit; (quam tamen post genitam Mariam, Principem Walliæ & Regni Heredem, anno matrimonii 20. iterum repudiavit, eaque occasione à memorato Ludovico à Schora citatum antea consilium procul dubio ad jassum S. C. M. pro validitate dispensationis Pontificiæ & matrimonii conscriptum fuit) itemque ut Johannes Casimirus Poloniæ Rex defuncti fratris Uladeslai I V. relictam viduam, ac Petrus Portugalliæ Princeps fratris sui Johannis Alphonfi adhuc viventis & depositi Regis Uxorem, Ducissam de Aumalia, Anno 1668. matrimonio sibi junxerit, &c. sed non admittit restrictionem illam prohibitionis divinæ universalitatis, quam agnoscunt ipsimet Canones *cap. 13. X. d. restitut. spoliat.* & saciores Pontificii Scriptores, ac imprimis Hieronymus Prævidellus Regiensis, qui indicta causa Henrici VIII. Angliæ Regis, contra matrimo-

rium.

nium & dispensationem Pontificium respondit ap. Kirchhov. *dict.*  
*Vol. 3. cons. 1. add. Myler. c. 8. & ibi allegati.*

## X V I I I.

Ad Illustris familiæ decus tuendum, plurimum facit, si Princeps, Comes, &c. æqualem (pro qua eam quoque habeo, quæ in inferiore dignitatis Illustris gradu constituta est, ut si Dux aut Princeps Comitissam, ex antiqua præsertim Familia, uxorem ducit, hæc enim gradus dignitatis differentia non inducit ejusmodi, notabilem inæqualitatem, qua Principalis mariti familia ejusque splendor obfusetur, cum, communi Imperii observantia teste, quotidie Ducum, Principum, ac Comitum Imperii familiæ nuptiarum invicem contrahant fœdera, & mutuo connubiorum Jure promiscuè utantur, hinc e. seu de-nupsisse non putentur Principes, sive mares sive fœminæ, ex Comitum ordine adscitis thori consortibus Myler, *Gamalog. c. 2. Eyben. d. tit. Nobilis pag. 22.*) eligat Uxorem, & vix aliter etiam felix sperandum est conjugium, quàm si aut æquales coëant conjuges, aut saltem non multo sit uxor inferior Viro, maritus enim in excelso constitutus fastigio, plebejam ac humilem ducendo uxorem contemptum incurrit, si non consanguineorum & statuum ac subditorum, certè tamen amicorum & extraneorum; ità Boleslaus Masovix Dux, ob Annam Pauli Hunovii Palatini quondam Belsensis filiam, ceu imparem, in Uxorem ductam, à Fratribus & Proceribus tam diu exagitatus fuit, donec impatientia victus, illam, eadem levitate, quâ duxerat, repudiavit. Quod tamen Conjugium minus indignitatis habuerat, quàm Fratris ejus Conradi, qui Cracovix abductam à Viro plebejo Uxorem matrimonio sibi junxerat, eâ verò defunctâ, ac Ducali pompâ sepultâ, alteram non minus obscuram puellam Uxorem sibi adscivit, Cromerus *lib. 28. histor. Polon. in fin.* plura exempla ejusmodi adducit Arnisæus *de Jure connubior. c. 3. sect. 6. n. 16.* inter quæ maximè notabile est exemplum Erici X I V. Regis Suecix, Catharinam (Suecis Sinfrillam dictam) Licetoris filiam (quam tamen mediocris saltem conditionis mulierculam & militis alicujus gregarii filiam fuisse alii dicunt) matrimonio sibi jungentis, eamque tertio Julio Anno 1568. in Reginam coronari facientis. Quam ob rem accedentibus plurimis aliis factis, Regia

Maje

Majestate planè indignis, à Fratribus & Agnatis, ac universis subditis regno exutus, ipsemet gravem sese commisisse errorem agnovit, referente Jona Coldicens. *in descript. Daniae part. 2. fol. 133.* Invaluit tamen moribus illud matrimonii genus, quod vulgò ad Morganaticam vocant, quo Principes, cæteri que Illustres Viri sibi statu ac dignitate imparem, Nobilem nimirum, vel aliàs honesto civico loco natam, fœminam mariti affectu adsciscunt, cum conditione, ut cum eâ quidem, ut uxore & vitæ socia, sed non ut Principe, Comite, &c. Viri dignitatum particeps, consuescant, Liberi que, quos inde suscipiunt, citrà ullam quidem turpitudinis notam, attamen aut conditione matris, aut qualem pacta dotalia illis destinantur, vel cum certo annuo stipendio, vel certis ipsis per patrum assignatis bonis, contenti vivant, ex statu verò & dignitate Patris nihil auferant. Cujusmodi Illustris Viri & sequioris conditionis fœminæ conjunctio veri & legitimi matrimonii Jure censetur, etsi non omnium Juris Civilis effectuum capacis, cum, quod ad formam legitimi matrimonii pertinet, luculenter adsit, nimirum, indissolubilis maris & fœminæ in unam carnem conjunctio, mutuo conjugali consensu publicè declarato, sobolis procreandæ & mutui adjutorii causa, contracta. Vid. de eadem *Positiones selectas sub Præside superioribus annis à Dn. Julio Friderico Francisco Holzzel von Sternstein / defensas, ibiq; allegatos; Myler. Gamol. c. 6. Linck. Disc. de matrim. ad Leg. Sal. contracto, &c.* ac si Princeps aut Comes Imperii, cum Virgine Nobili, antiquæ imprimis prosapiæ, aut aliàs honesto loco nata, matrimonium absque adjecto pacto morganatico (quo uxori & nascituris ex eâ liberis Morgengaba constituitur, & caveatur, 1. ut Liberi ex hoc matrimonio pactionato prognati, licet legitimi sint, nomen tamen & insignia paternæ Familiæ nequaquam assumant, nec 2. cum Filiis Illustribus prioris fortè matrimonii honorum avitorum heredes fiant, aut in Feudis, allodialibus, ac Dynastiis ex æquo succedant: Neve 3. ad divisionem mobilium Familiæ Illustris provocent; nec 4. porrò ipsa uxor statum ac dignitatem mariti Illustris ambiat aut assumat, sed in pristino suo statu aut determinato dignitatis gradu, usque ad extremum vitæ halitum, persistat; nec 5. Jura matronis Illustribus ad Dotalitium, Geradam, aliave competentia, adver-

sus Domum Illustrem prætendat, sed ut 6. tam ipsa, quàm liberi, bonis à Patre Illustri sponsaliorum tempore certo pacto constitutis, & pro alimentaria provisione ac hereditatis parte assignatis sint contenti, &c.) contraheret, inspecto mero Jure Publico, ipsa sanè Principalis aut Comitivæ illius dignitatis, Juriumque (personalium nim. non territorialium, vid. suprâ dicta de Augusta *th. 11. cap. præced.* ad Ejus enim exemplum & Principis, Comitum Imp. Conjux legitima pariter per Maritum Ducem, Comitem Imperii, habita proportione ad Imperatorem, Jurium ac privilegiorum, dignitati suæ convenientium, particeps redditur Myler. *Gamol. c. 8. n. 5. 6. seqq.*) ac titularum ejus omnium, statim atque Illustri ejus dignata amplexu, compos fieret, Liberi que deinde ex ea prognati etiam Patris Principis vel Comitum conditionem omnino sequerentur, & Principes vel Comites essent, nullo nomine aliis Principibus vel Comitibus ex Illustri utrinque connubio prognatis inferiores, ut in terminis responderunt beati Antecessores Facultatis Juridicæ in hac Illustri Eberhardina, pro Comite apud Besoldum *part. 2. consil. 88.* ac pro Principe Francisc. Pfeil. *consil. 78. n. 161.* addatur Henricus Salmuth *Responsio Juris pro matrim. Principis cum virgine Nobili q. 2.* Myler. *Gamolog. cap. 5. sect. 1. n. 7. seqq.* ubi exemplis hoc illustrat. *n. 16.*

## X I X.

Cum ergò secundum modò dicta, Virgo Nobilis vel aliàs honesta, Principi vel Comiti nupta, ob arctissimum conjugale vinculum, & individuum vitæ societatem, verè Princeps vel Comes fiat, titulo Principibus ac Comitibus competente etiam compellanda, quaeritur: *An casu converso parilis reciprocatio contingat, & Principis aut Comitum Filia Baroni aut Nobili nubens, abdicato avito titulo, Nobilitatis predicato contenta esse cogatur?* Id videri quidem posset per *l. 10. C. d. nupt. l. 13. C. d. dignitat.* Contrarium tamen, uxorem nimirum talem adnatum Principis vel Comitum titulum retinere, pluribus probat Myler. *d. c. 5. sect. 2. num. 25. seqq.* quod & praxin, non nostri modò Imperii, sed plurium aliorum etiam Regnorum, confirmare notat. *num. 28. 29.* & quotidianus Aularum usus ipse loquitur.

## X X.

Constat hodiè in Germania matrimoniū legitimè contractum non

non

non ceneri, nisi consensus matrimonialis à partibus publicè sit declaratus, in facie Ecclesiæ, accedente Sacerdotali benedictione, Carpz. lib. 2. def. 142. Nam quamvis Hierologia ista, non sit de substantia matrimonii, est tamen solennitas Canonica, moribus approbata, adeòque Jure Canonico & consuetudinario omninò necessaria, si matrimonium legitimè contractum dici debet, ommissa igitur matrimonium reddit illegitimum. Ziegler. in not. ad Institut. Jur. Canon. lib. 2. tit. 12. §. 11. in tantum, ut inspecta veritate Juris theoricæ, nec Liberi inde nati legitimi dici possent. c. 3. & t. t. X. de clandest. desponsat. c. aliter. caus. 30. q. 5. c. fin. caus. 28. q. 1. Besold. p. 1. conf. 247. nisi ex singulari favore communiori usu fori pro legitimis haberentur. Schütz. in compend. Juris. Lauterbachian. pag. 344. Fieri verò debet Sacerdotalis illa copulatio regulariter in sacris ædibus d. c. aliter. Carpzov. lib. 2. def. 243. nisi aliud exigat necessitas, aut dispensatio impetretur. Carpzov. def. seq. 144. & 145. & quidem plerisque in locis diebus profanis, non festivis ac Dominicis, divino cultui dicatis. Carpz. def. 154. seq. postquam præcefferit tribus diebus Dominicis, præsentibus verbi divini auditoribus, non solum in loco, ubi contrahitur matrimonium, verum etiam, ubi nati ac educati sunt Sponsus & Sponsa, ex suggestu publico facta proclamatio sive denunciatio, secundum dispositionem Juris Canonici in c. 27. d. sponsal. ubi denunciations illæ banna vocantur. Carpz. def. 137. seqq. variis in locis peculiari constitutione confirmatam. Ab hoc tamen Jure exempti sunt Illustres, qui sine denuntiatione contrahunt nuptias, & diebus feriatis etiam copulantur, in aulis suis, nisi sacellum forsan in ipsa Aula sacrorum causa exstructum sit, ac in illo ipsi copulationem peragi velint, Nobilibus quoque sibi eadem hæc Jura loco eximii præ privatis vindicantibus Carpz. def. 144. n. 11. Schilter. Inst. J. Can. lib. 2. tit. 16. §. 9. &c. sicut iidem cum Illustribus & in eo prærogativam quærunt, quod non cogantur infantes suos in Ecclesiam mittere ad baptismum accipiendum, sed illud administraturus Pastor in privatas ipsorum ædes venire obstructus sit, cum privatorum liberi in Ecclesiam sive ædes sacras deferendi, nisi fortè talis emergerit necessitas, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo infans baptizandus deferri c. un. d. baptism. Nov. 58. & 131.

Const. Eccles. in Elect. Sax. de Anno 1580. tit. 6. ibi: So sollen die Pfarzer sich bestreiffen / daß Sie in Gegenwart der versammelten Kirchen geschehe. Jung. Ord. Polit. Elect. de Anno 1661. tit. 7. §. Es sollen / 2c. verbis: jedoch hier von außgezogen werden / die von Adel / Chur / Fürstl. Rath / und hoch graduirte Personen. In frequenti quoque adhucdum usu apud Illustres esse Deductiones ad domum, easque sæpè magno cum apparatu, multisque solennitatibus fieri ac peragi, in vulgus conitar. De his autem, earumque juribus ac solennitatibus vid. Dn. Georg. Berthold von Raffert. *Diss. de Illustrium Imp. Personarum Deductione ad domum, von Fürstl. Heimführungen / sub Præsidio Dn. Linckii, Altorffi habita.* jung. Fritsch. *tr. de Augusta in append.*

## X X I.

Claudat hanc de Jure Connubiorum Illustrium materiam elegans hæc quæstio: *Utrum ipsis ex causa sterilitatis conjugii vinculum solvere, & defectum istum sterilitatis in uxore, aliâ superinductâ, in totius Principatus vel Comitatus ac religionis tuenda commoda, compensare liceat?* Sicut constat Henricum IV. Galliarum Regem matrimonio cum Margarita Valesia Henrici II. filia & Caroli IX. sorore d. 20. Aug. 1572. contracto, propter defectum prolis, à Rom. Pontifice Clemente VIII. Anno 1600. per sententiam annullato, ne Regia stirps extingueretur, Mariam M. Ducis Tusciæ Francisci II. filiam superinduxisse, ex Thuanus *Hist. l. 125.*? Et respondit ad eam jam olim B. Augustinus *lib. de bono conjug. cap. 7.* *Tantum valet illud sociale vinculum Conjugum, ut cum causa procreandi colligatur, nec ipsa causa procreandi solvatur.* Posset enim homo sterilem dimittere uxorem, & ducere, de qua filios habeat; & tamen non licet, & nostris quidem jam temporibus ac more Romano, nec superinducere, ut amplius habeat, quàm unam vivam. & *cap. 15.* *Nuptiarum manet vinculum, etsi proles, cujus causa initum est, manifestâ sterilitate non subsequatur, ita, ut jam scientibus conjugibus non se filios habituros, separare se tamen vel ipsa causa filiorum, atq; aliis copulare non liceat. Quod si fecerint, cum eis, quibus se copulaverint, adulterium committunt, ipsi autem conjuges manent.* Planè uxoris voluntate adhibere aliam, unde communes filii nascantur, unius commixtione ac semine, alterius autem jure ac potestate, apud antiquos Patres fas erat, utrum &

nunc



*nunc fas sit? non facile dixerim.* Quo B. Augustini responso quaestionem hanc dimittimus cum Dannhauero, *Theol. Conscient. p. 2. sect. 2. Dial. 3. art. 5. q. 5.* ubi subjicit, sc̄dus peccare, qui contrario fecunditatis in uxore respectu commoti, ne prole honesta nimiam familiam onerent, è concubinâ spurios procreant, digni quorum memoria deleatur de terra viventium, magni Lutheri *Judicio Comment. ad Genes. 2. fol. 34. add. Myler. Gamol. cap. 4. sect. 3. n. 8. seqq.* De viduis Illustribus & earum Jure, quod in constituto ipsis à maritis Illustribus Dotalitio habent; vid. Myler. *Gamol. cap. 9. & seqq.* Qui & de dono matutinali ab Illustri Sponso Sponsæ suæ dari solito *cap. 16. seq.* agit, atque *cap. 19. seqq.* Jura liberorum ac Parentum Illustrium etiam explicat, ad quem, ne pagellæ nimis excrescant, in his argumentis provocasse sufficiat.

## X X I I.

De Tutela & Cura in Jure Communi Cæsareo, Romano ac Imperii Recessibus constituto, generaliter disposita hætenus commodè ad tutelam & curam Personarum Illustrium S. R. I. applicari possunt, quatenus de hac ipsa per legem publicam aut consuetudinem nihil diversi statutum vel introductum reperitur. Nam licet inter Personas Illustres & privatas ratione Status sive dignitatis differentia non levis subsit, si tamen de cætero nulla inter eas possit assignari rationis disparitas, benè uti possumus communibus principiis, ex iis præsertim Juribus petitis, quæ ex ipso rectæ rationis proveniunt dictamine, & favorem illarum maximè concernunt. Rosenthal. *cap. 12. concl. 10. n. 14.* De Tutela & Cura Electorum autem quæ specialiter in A. B. sint constituta, supra in Juribus Electorum jam tum tetigimus. Cum verò Constitutio illa in Electoribus specialis sit, singulare plane jus continens, ad cæteros Imperii Principes communes & reliquas Illustres Personas nequaquam extendenda venit, sed quoad hos, præsupposito habili subjecto, perinde ut in privatis prima ratio tutelæ testamentariæ erit, altera, deficiente nimirum illa, legitimæ, & tertia dative. Myler. *de Stat. Imp. c. 29. n. 3.* Pühel. *de Tut. Illustr. cap. 3. 4. 5. 6.* Et immediatè quidem Imperio subjectorum Principum, Comitum, Baronum, Nobilium liberis Tutores aut Curatores constituit Camera Imp. vel ob concurrentem Jurisdictionem Judicium

Imp. Aulicum, quod Principes quidem hodie præferunt. O. C. p. 3. t. 3. Gail. 1. O. 1. n. 47. Myler. de Stat. c. 29. n. 1. Rosenthal. d. 1. Puhel. c. 5. n. 9. 13. si qui autem à Patre in testamento fuerint constituti, aut adsint agnati vel cognati, vel simultanee investiti, aut ex pacto Confraternitatis Jus succedendi habentes, tutelam vel curam legitimam suscepturi, in Camera vel Aula Cæsaris se per Decretum confirmari curent, antequam enim per Decretum (cujus formulam habet Puhel. cap. 10. n. 74.) legitimè confirmati fuerint, tutelæ vel curæ administrationem suscipere non poterunt. arg. Ref. Pol. de Anno 1548. & 1577. tit. von Pupillen / re. 32. Hahn. ad tit. de tutel. n. 6. ubi præjudicium vel exemplum habet. Puhel. cap. 10. num. 47. ubi refert Monitorium Principi alicui Imp. qui propria auctoritate citra confirmationem eam suscipere ausus erat, de solennibus in R. P. requisitis intra tres menses præstandis insinuatum. Petenda autem est Tutorum confirmatio in Camera & Judicio Aulico non oretenus, sed per oblatum supplicem libellum. Gylman. tom. 3. voc. *Producta*. tenenturque supplicantes 1. exhibere vidimatam copiam testamenti, in quo nominati sunt tutores, aut, testamento non extante, docere, quod ipsis tutela ratione consanguinitatis vel alia ex causa debeat. 2. Narrare pupillum Imp. immediatè subjectum esse, mediatè enim Imp. subjectis pupillis in Camera vel Judicio Aul. tutores non constituuntur aut confirmantur, nisi sub Jurisdictione inter duos Imp. Status litigiosa habitent, quorum uterque Jus pupillis tutores dandi sibi vindicat. Rec. Dep. de Anno 1600. §. 29. C. O. C. p. 2. t. 1. §. pen. Rhoding. Pand. Cam. tit. 18. §. 5. vel licet pupilli mediatè, tutores tamen immediatè Imp. subjecti sint & dissentiant. Blum. tit. 42. n. 13. vel bona illorum sub diversis Jurisdictionibus sita sint. Gylman. tom. 3. voc. *Tutela & tutores. vers. An liberis Nobilium &c.* 3. Producere Procuratorium propria tutorum manu subscriptum, proprioque ipsorum sigillo munitum ad præstandum Juramentum de rectè administranda tutela nomine tutorum, cum ipsi tutores Illustres rarissimè in propria persona illud præstent, in quo Procuratorio tutores sub obligatione bonorum suorum sive ul de legitima tutelæ administratione cavent. 4. Si minorennibus Curatores petuntur confirmari, eorum etiam docendus est consensus. Gylman. d. 1. Rosen-

Rosenthal. c. 12. concl. 10. n. 64. seqq. Blum. d. t. 42. num. 14. 15. qui ejusmodi supplicationum formulas quoque suppeditat in *Supplicationibus* sub tit. 14. n. 22. 23. 24.

## X X I I I.

Et admittitur ad Legitimam Tutelam liberorum suorum Illustrium etiam Mater & Avia Illustris, modò in petita confirmatione sese ad renuntiationem secundarum nuptiarum, Senatus Consulti Vellej. aliorumque beneficiorum sexui fœminino concessorum offerant, eamque per Procuratorem speciali mandato ad hoc instructum dein actu faciant, nisi eadem à Sacra Cæsarea Majestate, ex justa causa, ipsis remittatur, sicut hæc Imperii Praxis satis superque confirmat, ex qua constat, & ad ipsam Ducatum, Principatum, Comitatum, ipsiusque Imperii negotiorum, nec minus Officii Circularis *der aufschreibenden Fürsten* etiam, administrationem illas admitti, nisi iis, quoad hanc administrationem, pacta familiarum gentilitia, & leges fundamentales Ducatum, Principatum, &c. obstant, easque à Regimine Principatum, & quæ ad illud pertinent, indeque dependent, vel illud sequuntur, juribus excludant. vid. *Christ. Barth. sent. Cam. p. 1. pag. 1038. l. A. B. C. § p. 1047. l. C. D. E. p. 2. pag. 20. l. C. D. E. pag. 127. l. A. B. C. pag. 200. lit. A. B. part. 3. pag. 730. lit. D. pag. 944. l. A. B. pag. 1072. B. p. 1143. C. D. Blum. Cbiliad. sent. Cam. n. 93. § 94. Püchel. de Tutel. Illustr. c. 5. n. 26. cum 3. seqq.* ubi subjicit, quod cum non parvi momenti res sit, pupillo Principi, Comiti, &c. dextrè prospicere, ejusvè Provincias ac subditos, uti decet, gubernare, plerumque Matri, vel ad ipsius petitionem, vel, si id non petierit, ex officio, à S. C. M. unus aut plures Contutores vel consiliarii certi, tanquam contutores, adjungi soleant. add. *Hugo de Statu Region. Germ. cap. 6. n. 12. Limn. T. 5. in addit. ad lib. 4. §. 8. num. 179.*

## X X I V.

De tempore, quo finiri debeat tutela ac Cura Electorum, clara est dispositio A. B. quæ illud annis 18. completis circumscriptit, de aliarum Personarum Illustrium tutelæ ac curæ dissolvendæ iisdem annis circumscripto termino similem non habemus Constitutionem, sed altum de eo ubiq; est silentium, imò non obscure eundem Bulla  
Sigis-

Sigismundi Imperatoris primùm Aquisgrani. Anno 1414. die 8. Novembr. & rursus Basileæ Anno 1434. die 8. Mart. evulgata sub dispositione Juris communis reliquit, in verbis: *In Principatibus autem, Ducatibus & Dominiis aliis temporalibus gubernandis, ætatem observandam decernimus, prout à Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus, nostris Prædecessoribus, est sancitum, &c.* Unde communior Ddr. est opinio, reliquos, præter Electores, Principes Imperii, multoque magis Comites & cæteras Illustres Personas, æque ac Privatas, usque ad annum 25. sub Curatorum suorum patrocínio manere, nec prius ad propriam provinciarum suarum administrationem admittendos esse, quam illum ætatis annum compleverint. Arum. ad Aur. Bull. Disc. 4. §. 15. Limn. l. 7. c. 3. num. 4. Schütz. vol. 1. D. 4. §. 19. Herm. Hermes. cap. 14. q. 8. Rümelin. ad Aur. B. p. 1. Diss. 7. concl. 10. Dissent. Cothmann. Vol. 1. cons. 44. n. 52. In nonnullis tamen Principum ac Comitum Imperii familiis communis ille majorennitatis terminus vel per specialia Privilegia, vel Pacta aut Testamenta Familiarum gentilitia ab Imperatoribus confirmata, mutatus, & vel ad exemplum ejus, qui in Electoribus placuit, itidem ad annum 18. vel ad 20. coarctatus est, ex ratione satis plausibili, quod si Electores illo tempore digni judicantur, quibus amplissimorum suorum Electoratum Regimen committatur, quod tamen, propter conjunctam ipsius etiam Imperii administrationem, summam Judicii *αξιβείαν* requirit, quare non Principes ac Comites, in quibus non minus, propter innatas virtutes avitas, singularis illa ingenii vis atque excellentia tam maturè, ac in Electoribus sese exserere videntur, habiles censendi, ut eodem aut annis duobus majore tempore Provinciarum suarum gubernationem suscipiant. Pühel. c. 11. n. 125. Gaudent verò Privilegio isto Gentilitio, vi cujus, anno 18. completo, Primogenito regimen Ducatus, Principatus aut Comitatus cedit, ex relatione Limnæi l. 3. c. 7. n. 41. 42. & ad A. B. t. 7. §. 2. O. 25. Familia Archi-Ducum Austriæ, Ducum Brunsvigo-Lüneburgensium, Ducum Pomeraniæ, ac Principum Anhaltinorum. Item Incluta Domus Hassiaca teste Schützio Vol. 1. D. 7. §. 16. l. B. & Würtembergica vi Testamenti Eberhardini; nec non Familia Comitum de Mansfeld, ac Ortenburg, juxtà Myler. de Stat. Imp. c. 29. n. 6. Rhet. Inst. Jur. Publ. l. 1. tit. 23. §. 3. X X V.

## X X V.

Recipit porrò assertum illud, de Principibus, Comitibus, &c. ad annum 25. usque sub Curatela mansuris, notabilem declarationem, nisi ipsi veniam ætatis impetrauerint ab Imperatore. Ad ejus enim Reservata meritò refertur Jus Principibus, Comitibus, &c. veniam ætatis concedendi, defectumque annorum supplendi, ad capiendam ante communem majorenitatis terminum Principatum, ac Comitatum &c. suorum ad ministracionem, neque Cæsaris gratia sese restringi hodiè patitur, in Illustribus præsertim personis, ad annos de JClī ad beneficium hoc impetraturis necessarios, aliaque eodem Jure in l. 2. C. d. his, qui ven. ætat. impetr. requisita solennia, quæ ex Finckelthufio refert Dn. Praeses sect. 1. c. 15. n. 4. 5.) observanda, sed maturam animi indolem in Aula ejus se sistentibus videns, aut probato Curatorum ac Agnatorum testimonio de petentis mentis solertia transmissio fidem habens, liberè eandem impertitur, teste ipsamet experientia. Ità modò anno 1675. Augustissimus Imperator Leopoldus Georgio Wilhelm, Principi Lignicensi ac Brigenfi, ob divinam & ab Imperatore ipso admiratione dignam æstimatam indolem veniam ætatis anno 14. & dimidio nondum completo concessit, quam dum unà cum feudorum suorum collatione obtinuerat, ex Aula Cæsaris redux mox simul & vitam & familiam, ingenti subditorum luctu & mœnore, morte clausit. Antiquiora exempla refert Myler. in Etologia sua cap. 1. n. 3. quo tr. totum hoc argumentum de venia ætatis doctè enucleat. De reliquis capp. Tutelæ Illustr. inter quæ non micimum hoc, quod Tutores Illustrum liberius, quàm privatorum, donare possint. Gail. 2. O. 72. n. 8. vid. Puhel. de Tut. Illustr. c. 12. add. Fritsch. v. 1. Conf. 23.

## X X V I.

A Præscriptione Ddr. communiter eximunt bona Domania- lia Principum ac Personarum Illustrum S. R. Imp. vi tit. C. ne rei Domin. vel templor. vid. Myler. de Stat. Imper. c. 33. n. 1. ubi id de quadragenaria præscriptione minus dubii habere dicit per l. fin. C. d. SS. Eccles. l. f. C. d. fund. & saltibus rei dom. nam utut hæc fortè in privato Principum patrimonio locum inveniat, quod ipsi ut privati possident pleno Jure, & hinc etiam liberam de eo prohibitu disponendi facultatem habent, (sub quo comprehenduntur,

M

quæ

quæ Principes emptionibus, donationibus, confiscationibus, privatim sibi acquisiverunt. *l. 1. 2. ff. d. jur. fisc. l. 3. C. d. bon. vac.* quæ alluvionibus nacti, quæ pecuniâ ex vestigalibus perceptâ, aliisque proventibus à privatis sibi compararunt, &c. *l. 3. C. d. quadr. præscript.* quæ res propria substantia Principum vocantur *d. l. 3. & bona in formam patrimonii redacta, l. 39. §. ult. d. legat. 1.* quibus olim præerat Procurator Cæsaris *l. 1. ff. d. Offic. Proc. Cæs.* postea Comes privatarum rerum *t. t. C. d. Offic. Com. rer. privat.* & aliquando etiam bonorum domanialium nomine veniunt, quamquam hæc propriè sint, quorum dominium Reipublicæ est, usus verò saltem Principum, seu quæ quoad usum Principibus constituta ad sustinendos mensæ, aulæque sumptus, ac supportanda Reipublicæ onera, reservato Reipublicæ eorundem dominio. In Imperio nostro Romano Germanico quoad Principes, Comites Imp. bona familiæ avita & gentilitia, de quibus ipsi ab Imperatore, sub nomine Ducatus, Principatus, Comitatus, &c. investiti sunt, Myler. *de Stat. Imp. c. 33. num. 2.* salva atque integra, & ut à Majoribus accepta, in successorem, ad effugiendam prodigalitatibus notam, transferenda. Choppin. *de doman. l. 1. t. 2.* Et ergò, cum privatam illud Principum Patrimonium communibus commerciorum regulis non aliter, quam privati alicujus Patrimonium, subjaceat, facilius quidem in eo quadragenaria recipi potuit præscriptio *arg. l. f. C. d. fund. limitroph. l. 6. d. jur. fisc.*) aliud tamen de Domaniis bonis Principum communi calculo Ddr. statuunt, ea nimirum, non nisi immemoriali tempore præscribi, perlatè deducta à Mylero *d. c. 33. n. 2. 3. & in Nomolog. cap. 18.* Martin. Frid. Seidel. *Diff. Inaug. d. sacro Doman. jure. assert. 11.* Andr. Christoph. Rosener. *Diff. Inaug. d. bonis Doman. cap. pen. & ult. circa fin.*

## X X V I I.

Gaudent unà cum Imperatore & Augusta ejus Coniuge, Principes, aliique Illustres S. R. I. Status & illorum Coniuges Illustres beneficio *l. 3. C. d. quadr. præscript.* cujus vis & effectus in eo consistit, quod si quis ab Imperatoris vel Augustæ, à Principis Imp. vel Illustris ejus Coniugis Procuratore rerum privatarum rem quandam patrimoniam Imperatoris vel Principis Imperii vel Coniugum eorum emerit, perinde ac si à Fisco emisset, *ix. l. 2. C. d. t. statim & perpetuò securus sit contra omnes actiones, ita, ut nec à*  
vero

vero Domino, nec ab ullo alio illius rei intuitu inquietari possit,  
 & nec personali, nec reali, nec hypothecaria actione conveniri que-  
 at; Is vero, qui dominium rei venditæ vel aliud Jus in ea præten-  
 dit, intra quadriennium tantum actionem habeat contra Procura-  
 torem rerum privatarum Imperatoris vel Principis Imperii, qui e-  
 am alienationem ipsorum jussu ac nomine fecit, vid. d. l. 3. ibi  
 Brunnemann. Myler. de Stat. Imp. cap. 32. n. 1. Mev. part. 7. dec.  
 67. Quod principaliter idem sic constitutum, ut tantò facilius em-  
 ptores inveniant fiscus & Curatores Dominicæ domus, cum quibus  
 propter potentiam nemo aliàs libenter contracturus. Peregrin. d.  
 jur. fisc. l. 6. t. 4. n. 16. quanquam postea beneficium d. l. etiam ad  
 titulum lucrativum extensum sit l. 2. pr. ibi munificentia. Myler. d. l. n.  
 2. Etsi a. id moribus hodiè non observari velit post Christin. Vol. 1.  
 dec. 88. & vol. 4. dec. 82. in f. Perez. ad d. t. Cod. d. quadr. prescript.  
 Attamen rectè monet Brunnem. ad l. 2. C. d. t. hoc ipsorum testi-  
 monium restringendum esse ad locum, ubi vixerunt, extra illum  
 non multum mereri fidei, maxime cum usus in Imperio satis appa-  
 reat ex his, quæ habet Faber, l. 7. Cod. Sabaud. tit. 11. def. un. Myler.  
 d. l. Mev. d. dec. 67. Qui præced. dec. 65. & 66. deducit & osten-  
 dit, exceptionem ex d. l. fin. non tamen competere ex proprio vitio  
 conventis, nec excludere illas actiones, quæ aut ex rei conditione  
 nascuntur, aut ex ipsius vitio, cujus exemplum in l. 1. C. d. hered.  
 vendit. similiter eam cessare, si mala fide Princeps vel fiscus pos-  
 sederit, cui etiam æquiparetur vitiosum possessionis principium ex  
 vi & iniquitate add. Brun. ad d. l. 3. Monet & Mylerus d. l. n. 3.  
 non habere dispositionem d. l. 3. & l. 2. d. t. locum in venditioni-  
 bus rerum fiscalium, quæ ab Officialibus Principum, von den Jürsil.  
 Weampfen / sine speciali Dominorum suorum mandato fiant, per  
 d. l. 3. §. quæ omnia. ibi: ex epistalmate tantum nostro, i. e. ex nostro  
 jussu & mandato, Sc. quemadmodum & sic decisum fuisse referat  
 Fr. de Clapper. dec. 68. q. 2.

X X V I I I.

Gaudent porro Domaniaia Principum ac cæterorum Illustri-  
 um bona, Cameræque ratiocinia, Rent: Camern / per omnia  
 amplissimis fisci Privilegiis, Jure Civili & loci consuetudine de-  
 sentis, quibus & Augustæ ac Illustrium uxorum Principum Comi-

M 2 tumvé



tumvé Imperii rationes perinde frui sustinet Mylerus, *Gamolog. c. 7. n. 14.* quem sequitur Fritschius *de Augusta c. 8. num. 16. vi l. 6. §. 2. ff. d. jur. fisc. & traditorum à Marco Anton. Peregrino, d. jur. fisc. lib. 6. tit. 3. n. 4. qui preced. tit. 1. & per tot. tract. privilegia & prærogativas fisci latè explicat, add. Arism. Tepatus tit. 51. Christian. Vol. 4. dec. 125.* Idque aliorum etiam Regnorum eodem Jure utentium exemplis illustrat laudat. Dn. Myler. *d. l. imprimis vicinæ Gallix, ubi Henricum II. Reginæ Catharinæ conjugis, universam pecuniam tam esse Regiam, quam suam Ipsius, publico edicto declarasse, ex Johanne Lucio Placit. lib. 3. tit. 4. notat, & eâ de causâ Reginam Franciæ, in concursu Creditorum, omnibus aliis Creditoribus, præferri, & ad exemplum Regis mariti prioritatem habere ex Tillet. Aux Recueil. des Roys de France tit. del' autorité & prerogativ, refert Limn. Notit. Franc. lib. 2. c. 14. n. 17. quod, ut apud nos in Imperio nostro obtineat, termini habiles ponendi erunt: Sunt quoque Principum & Illustrium bona, ab omnibus oneribus, gabellis, vectigalibus exempta *arg. l. 9. §. f. d. public. & vectigal.* Et ita quoque in aliis Regnis observatur, ut Reges ac Potentes à vectigalium ac gabellarum solutione sint immunes, quemadmodum de Hispania & Gallia ex aliis testatur Mylerus, *d. c. 7. n. 17. ubi num. seq. 18. id declarat.**

## X I X.

Donationes Illustrium Imperii nostri Personarum, in multis sunt privilegiatæ, & eximiis præ donationibus inter privatos factis gaudent Juribus, ita primò donatio Imperatoris, Principis, Comitum Imperii in Augustam ac Illustrem Conjugem, vel vice versa, facta, omninò subsistit, licet aliàs inter privatos conjuges donationes sint prohibitæ, ut ex *tot. tit. ff. & C. de donat. int. rer. & ux. constat, arg. l. pen. C. d. t. quod operosè deducit Paul. Matth. Wehner. in consil. Francon. 1. in causa donationis factæ Illustrissimo Comiti à Fürstenberg à Coniuge suâ Fr. M. Stampfin. Besucius ap. Zasium lib. 2. cons. 15. n. 51. seq. Johannes Lupus in repetit. rubr. de donat. int. Vir. & Ux. §. 37. n. 13. Jcti Argentoratens. Vol. 2. cons. 2. q. 2. n. 58. seq. itid. respondentes in terminis donationis à Comite Imperii in Illustrem suam Conjugem factæ. Modo non aliud quid præter considerationem matrimonii donationi resistat, ut si Illustris uxor marito*



marito suo bona sua dotalia, subque illis comprehensa jocalia, ex substantia Patris Illustris profecta, hac conditione expressè data, ut filia ante Illustrissimum maritum sine liberis defuncta, ad Patrem, eoque in vivis non existente, ad successorem illius, reverterentur, donaverit. Antecessores Facult. Jurid. Illustris hujus Eberhardinæ ap. Befold. p. 2. cons. 44. Sp. 4. cons. 151. Similiter donatio à Patre Illustri Liberis in potestate ipsius constitutis, aut contra, facta, valet, præsentisque habet vires, cum inter privatos regulariter sit, nulla. arg. l. 7. C. d. bon. quæ liber. l. fin. C. d. collat. junct. l. 11. C. donationib. Myler. d. Statib. Imper. c. 27. n. 5. Struv. Exerc. 40. §. 7.

## X X X.

Tertiò, Donatio ab Illustri procedens persona in privatum collata, non indiget Judiciali insinuatione, etsi ad aliquot aureorum millia ascendat, sed statim plenissimum habet robur. l. 34. C. d. donat. Illustrium enim liberalitates, hoc præcipui habere debent, ut à privatis concessionibus secernantur d. l. ibi Brunnem. Tabor ad Colleg. Argentor. tit. d. donat. §. 14. n. 5. Hahn. d. donat. n. 6. circ. fin. Carpzov. part. 2. const. 12. def. 16. Myler. d. c. 27. n. 6. Idemque obtinet etiam in donatione magni quantumvis valoris Illustri personæ à privato facta. per *Autb. idem & à privatis. C. d. donat.* Myler. d. l. n. ult. Quartò, quæ Illustris Persona donat filio vel filia familiâs, pleno Jure statim donatario acquiruntur, ita, ut Pater nec usumfructum, nec aliud quicquam sibi in iis vindicare valeat, quo ipso Illustrium liberalitates hoc culmen habeant præcipuum, ut loquitur Imperator in l. 7. C. d. bon. quæ liber. Referuntur itaque ad peculium adventitium irregulare, nisi militiæ vel togatæ, vel sagatæ intuitu concedantur, B. Dn. Lauterbach. *Disp. d. pecul. adventit irregul.* §. 14. Denique quid impedit, quo minus afferamus *L. un. Cod. si liberalit. Imp. Soc. sine hered. decess.* dispositionem perinde locum invenire in donationibus à Principibus, aliisque Illustribus Personis Imperii nostri factis, atque in liberalitatibus ab Imperiali culmine procedentibus, utrum verò vi d. l. sine herede decedentis liberalitatis principalis socii pars, condonatio superstiti, Jure accrescendi communi obveniat, an potius successionis Jure singulari, sive ex privilegio Principis, eidem cedat, & acquiratur? & an d. l. dispositio tantum in allodialibus subsistat,

num verò & ad feudalia, ut si Princeps Feudum alicui donasset, pertingat? Jam non discutimus, videri autem poterit de prioribus Disp. sub Magnif. D. Rebhani Præsid. ad d. l. un. habita sect. 2. Brunnem. ad d. l. un. item Perez. ibid. n. 11. Colleg. Jurid. Argentorat. lib. 30. tit. 1. §. 38. De posteriori Brunn. ad d. l. Schrader. d. feud. p. 7. c. 7. n. 11. Clar. §. feud. q. 77. & ab his dissentiens Cornel. Schwanenberger. d. Jure accresc. c. 8.

## X X X I.

De Testamentis Principum aliarumque Personarum Illustrium Imperii, qui Imperatore inferiores, (Imperatoris enim & Augustæ valere comm. concedunt,) haud levis est disceptatio inter Ddr. valeantne, licet solennitates, quibus Jura Romana privatos, alioquin ultima elogia validè condituros, alligarunt, non observata fuerint, an illorum testamenta valitura, perinde ac privatorum voluntates ultima, accuratè servata Legum solennitate confecta esse debeant? Prius, valere nim. ea sine ullis Juris Civilis solennitatibus condita, tuentibus Mylero, de Statib. Imper. cap. 26. n. 4. Hagen. lib. 2. Instit. Jur. publ. c. 6. n. 4. Pruckmann. d. Regalib. §. absoluta potestas. c. 4. membr. 3. eff. 1. n. 20. seqq. Cæsar. Fürstener. de Supremat. Princip. German. c. 25. Amplissimo Collegio Jctorum Illustris hujus Eberhardinæ apud Besold. part. 4. Cons. 150. num. 24. seqq. pro validitate testamenti Caroli Austriaci Marchionis Burgaviensis omnibus testibus destituti respondente, & Consil. 273. secundum eandem sententiam pronuntiante, Limn. l. 4. c. 8. num. 177. Idque non solum de Principibus Regentibus, sed & de Appanagiatis, item de Illustribus ipsorum uxoribus, nec non utriusque sexus Libereis ex Illustri sanguine prognatis exaudientibus, Myler. d. l.

Posteriorius, non valere nimirum illa, nisi observatis Juris Civilis solennitatibus condita fuerint, amplectentibus Mevio ad Jus Lubec. p. 2. tit. 1. n. 2. n. 64. seqq. Knipschild. d. fideicommiss. c. 6. n. 21. Henric. Rosenthal. c. 12. conclus. 10. n. 16. seqq. qui addit, se plurima testamenta Electorum, Ducum, Principum, ac Comitum Germanorum vidisse ac legisse, in quibus testamentorum solennitates sollicitè admodum & solenniter fuerint observata, nullum in quo omisse, & sic ipsum testantibus sepè præscripsisse, sibiq; unà cum aliis duobus senioribus Prædicis visum fuisse, donationem mortis causa, sub Sigillo Comitæ cujusdam  
fine

*sine testibus factam, non valere, etiamsi factam esse non negaretur. Ahasuerus Fritsch. in addit. ad Limon. d. lib. 4. c. 8. n. 177. qui ibidem addit, nullum sibi adhuc occurrisse præjudicium, quo vel in Camera, vel in Judicio Aulico, pro Testamento Principis, sine solennitatibus confecto pronuntiatum fuerit. Klock. tom. 3. cons. 102. quest. 5. n. 74. seqq. in quorum castra Colleg. Jurid. Colonense Anno 1674. modò in causa quadam consultum concessisse refert Hertel. in Dissert. de Principe LLbus soluto, pag. 29.*

Ultraque verò parte gravi argumentorum apparatu sententiam suam muniendo, vid. Dn. Eyben. d. Testam. Princip. Comit. 8. 18. seqq. Pühel. d. tutel. Illustr. c. 4. n. 32. seqq. ferè nescimus, quò inclinare debeamus; Fortèan autem tutissimam ibimus viam, si vexatissimæ controversiæ decisionem competenti relinquamus Judici, & magnorum Jctorum subjungamus consilium, tutius ac cautius facturos Principes, si ad evitanda sumptuosa jurgia in Testamentis suis Juris solennitates observent, quas propter insignem Consiliariorum copiam, qua plerunq̄ue sunt stipati, faciliori negotio, quàm Personæ ipsis inferiores observare poterunt.

X X X I I.

Anceps quoque est quæstio, num Principes & Illustres Personæ validè per alium, cui id mandaverint, testari queant? v. gr. an Princeps vel Comes, de hereditate Conjugis sui Illustris, ipsa consentiente, Testamentò disponere possit? Cujus negativam rectè propugnat Eyben. d. Disput. 8. 12. ex ratione: quod testamentum sit voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod post mortem nostram fieri volumus, proinde non poterit testamenti factio in alterius conferri arbitrium; satis enim constanter veteres decreverunt, testamentorum jura per se constare debere, non ab alieno dependerere arbitrio. l. 32. ff. d. hered. instituend. Licet ergò Principes & Illustres, testamenti solennibus soluti essent, non tamen possent per alios validè testari, quia testamentu propria cujusque voluntas esse debet, si autem illud in alterius ipsis conferre liceret arbitrium, non propria ipsorum, sed ejus foret volùtas, in cujus illud contulissent arbitrium, sicq̄; non modò de solennibus aliquid remitteretur, sed de ipsa testamenti essentia. Neque obstat vulgatù illud juris brocardicum: Quod quis per alium facit, ipse fecisse intelligitur; quodque Testamentum per Procuratorem conditum, sit volùtas alicujus ultima, si non specifica,

fica, quoad omnia in testamento expressa, tamen generica, sive universaliter, in quantum gratum habet illud, quod Procurator illius egit. Hæc talia enim saltem obtinent, ubi Jure permittente tertia persona nostro nomine intervenire potest, non autem tali in negotio, ubi propter rei gravitatem, & ad evitandas omnes fraudes (quibus testamentum, quam aliud quodvis magis obnoxium est, vid. *Petr. Peck. de testam. Conj. lib. 4. c. 13.*) ac ad majorem voluntatis nostræ certitudinem, ipsa voluntatis nostræ & à nobis in omnibus specificè facta declaratio requiritur. *Eyben. d. l. Richter. part. 1. Decis. 27. n. 13. Vitriar. Inst. Jur. Publ. l. 3. t. 19. n. 3.*  
 X X X I I I.

Et cum testamentum cujusque de propriis ejus confectum debeat esse rebus, inutile erit testamentum illustrium, quod ipsi fecerint, de bonis Fideicommissio familiæ affectis, *Knipschild. d. fideicommiss. famil. Nobil. c. 11. n. 68. seqq.* de bonis pacto familiæ aut Juri primogenituræ subjectis *Betsius, d. pactis famil. Illustr. c. 4. § 5. Schütz. Vol. 1. D. 6. §. 29. lit. A. & B. Andr. Caussen. apud Klock. Vol. 3. consil. 150. n. 12. 13. Reinking. L. 1. cl. 4. c. 17. n. 67. seqq. § c. 18. num. 19. seqq. Wurmser. Exerc. 2. q. 22. Item de Feudis, juxta juris Feudalis dispositionem. 1. F. 8. 2. F. 9. §. 1. Schrader. d. feud. p. 7. c. 2. Rosenthal. d. feud. c. 7. concl. 4. seq. Regalibus maximè; Nam in his seriùs, quàm in aliis, recepta est successio. 1. F. 13. 14. & nec dum hodiè quoque Ducatus, Principatus, Comitatus, &c. qui Feudi proprii Jure tenentur, per testamentariam successionem liberè in heredes quosvis transmittuntur, ac proinde ultimæ voluntatis dispositio regulariter in iis locum non invenit, ut notat post *Schütz. Vol. 1. D. 6. §. 20. lit. F. & Disp. 7. §. 9. lit. B. Limn. l. 4. c. 8. n. 127. Coehmann. Vol. 1. Resp. 41. Merckelbach apud Klock. v. 1. Conf. 6. n. 6. 27. & 136. ac Consil. 7. n. 738. Rhetius d. transmiss. territorior. Germ. c. 2. n. 58. Itterus d. feud. Imp. c. 16. n. 1. duobus id in seq. n. 2. confirmans præjudiciis, & pluribus modis in subseqq. §§. declarans, tandem n. 7. subjiciens, non tam arctis tamen limitibus ætate hæc nostrâ amplius constrictam esse facultatem condendorum à Principibus Imperii testamentorum, quin connivente sive permittente Imperatore, subinde ultra communes Feudorum regulas de territoriis suis, licet**

licet Feudalibus, testentur, modò alteri jus suum ex primogenitura vel aliunde quæsitum, non intercipient aut adimant, quâ de re notanter Reincking. d. c. 17. num. 60. ita: Notandum etiam hîc, quod in omnibus ferè Principum Germaniæ Familiis testamentariæ dispositiones frequententur, in quibus vel æquis, vel inæqualibus, portionibus Filii instituuntur, præcepta Regiminis præscribuntur, Tutores constituuntur impuberibus, vel etiam, assignato primogenito Principatu & Regimine, reliquis Filiis, alimenta & portiones bonorum relinquuntur, cum similibus. Sic Philippus Senior Hassiæ Landgravius, Princeps prudentissimus, anno Christi 1562. Testamento Filios quatuor, æquali quidem jure, inæqualibus tamen portionibus, heredes constituit, & multa saluberrima regendi præcepta iis præscripsit. Condiderunt etiam testamenta ejusdem Filii Wilhelmus, Ludovicus, Georgius, & non ita pridem hujus Filius Ludovicus Junior, Fidelis dictus, in quo relicto Filio primogenito, Georgio Landgravio, secundum hereditaria & jurata familie pacta, totius Principatûs Regimine, reliquis Filiis pro sustentatione, certis redditibus assignatis, factâque substitutione & Tutorum datione, multa pro sua, quâ polluit in rerum gubernatione, prudentiâ, salubriter monuit, idque postea à Filiis puberibus jurejurando fuit confirmatum, vid. die Fürstl. Ehren-Gedächtnus/Land. Graf Ludwigs. rubr. von Eröffnung des Testaments. Ejusmodi Principum Testamenta inter Liberos, etiamsi portiones inæquales fuerint assignata, propter reverentiam erga Parentes vel etiam jurisjurandi religionem, qua plerumque roborari solent, non memini facilè impugnata, quamvis à Feudorum natura in iis tantisper fuerit recessum. Verùm Principum testamenta, quæ inter Agnatos, aliàs ex pacto & providentia Majorum vocatos, condi solent, non ita observata, aut sine controversia transisse, superiore & nostra ætate, exempla extant, & videre est de Testamento Ducis Saxonie Georgii apud Sleidanum lib. 12. sub anno 1539. Si tamen Agnati, publicatis & visis Testamenti tabulis, ultrò acceptarent tale Testamentum, sibi præjudicium concitarent, quoad disposita in illo, ut, etiamsi Testator aliter disposuisset, quam disponere de jure debuisset, contravenire non possent, maximè, si, interveniente jurejurando, ad ejusdem observantiam se astrinxissent, tunc enim obstricti manerent tantò fortius, quia juramentum actum reddit irrevocabilem &c. Hactenus Reinck. d. l. add. Schüz. Vol. 1. Disp. 6. th. 26. lit. F.

## XXXIV.

Quod in *L. 19. Cod. d. Testament.* constitutum, ut, si ultimum conditurus elogium voluntatem suam precibus insertam, Principi h. e. Imperatori obtulerit, cum submissa ac humillima petitione, ut, libellum ac supremum voluntatis suæ arbitrium in scrinia recipiat, illudque Princeps acceptaverit, perinde hoc valere debeat, ac si coram septem Testibus, solenniter ad hunc actum vocatis, ultimam voluntatem confecisset; id rectè etiam ad Testamenta Principibus ac Statibus Imperii nostri oblata extenditur, ità, ut si Testator coram Principe, Comite, vel alio Imperii Statu, aut ejusdem Cancellaria, voluntatis suæ tenorem manifestaverit, aut à se vel alio consignatum, in scriptis præsens exhibuerit, eaque schedà, ultimum suum elogium, contineri testatus fuerit, atque, ut scriniis Principis inseratur, submissè petierit, Principis autoritas omnes solennitates, aliàs in testamento privato necessarias, suppleat, testamentumque sustineat, ut absque ulla ulteriori testium adhibitione, eorumque subscriptione ac subsignatione, valeat, cessante hinc harum solennitatum in privato testamento adhibendarum causa, fraudis scilicet suspicione, quam Principis excludit præsentio, Cravetta *consil. 31. num. 5.* Schurff. *cent. 2. cons. 69. n. 8.* & planè superfluo futuro privatorum testimonio, cum publica adsint & extent monumenta, *l. 31. C. d. donat.* quæ illud etiam ex Principis scriniis repetitum, sed sine contrariæ mentis declaratione à testatore ad mortem usque integrum custoditum atque asservatum, firmum validumque sustentant. Eckolt. *ad tit. ff. qui testam. fac. poss. n. 3. 4.* Myler. *d. Statib. Imp. c. 23. n. 1.* Befold. *p. 4. cons. 144.*

## XXXV.

Frequentius inter Illustres obtinet Successio Legitima, quæ & ab intestato dicitur. Et in plerisque quidem Familiis solum Masculi, in nonnullis verò & Fœminæ, Successionis capaces sunt, ita tamen, ut Fœminæ tantum admittantur, Masculis deficientibus; exemplum habemus in Augustissima Familia Archi Ducum Austriæ, in quâ per Privilegium ab Imperatoribus concessum & confirmatum, deficiente masculâ sobole Archi Ducatus, Feudi Jure ab Imperio dependens, ad Seniore de-

vol-

volvetur Filiam, *Limn. l. 5. c. 2. n. 30. 32. Conferat. Myler. d. Statib. Imp. c. 24. n. 1. 2. Iterus d. feud. Imper. c. 14. n. 14. 15. 16.* qui plures recensent Principatus, Comitatus &c. quos per feminas hodiè illos possidentes Familiae Illustres acquisiverunt. In quibus Masculi tantum succedendi jus habent, iterum *vel* illi omnes simul ad successionem admittuntur, *vel* primogenitus tantum succedit; Ubi omnes simul succedunt, 1. interdum Fratres Illustres ditiones ac terras dividunt, tam quoad bona & administrationem, quam quoad Regalia & Jurisdictionem, ita, ut quilibet suam partem capiat, nec alter in alterius portione quicquam juris habeat, sed singuli fiant *regierende Herren.* *vid. Knichen. de Saxonico non provocand. jure voc. Ducum cap. 3. Sprenger. Lucern. modern. Stat. Imper. c. 2. pag. 183. 189.* obtinente & hic illa passim inter privatos recepta & in Camera approbata consuetudine, qua major dividit, minor eligit. *Iter. d. feud. Imper. c. 13. n. 17. Myler. d. Statib. Imper. cap. 23. n. 8.* Nonnunquam 2. administrationem & emolumentorum perceptionem dividunt, Regalium & jurisdictionis substantia apud omnes indivisim permanente, *wird allein der nützliche Gebrauch und Einkommen der Landen getheilet/das Fürstenthum/die Graffschafft &c. und deren hohe jura, werden in einem corpore unzertrennt gelassen.* *Klock. tom. 3. Consil. 182. n. 209.* quae dividendi ratio, non modò usu & consuetudine Germaniae probatur, sed in ipsis Imperii Constitutionibus quoque fundata est. *Recess. Erfurt. de anno 1567. §. 15. junct. Recess. Imper. Spirens. de anno 1570. §. 40. Rec. Imp. Ratisbon. 1576. §. 99. Reincking. l. 1. class. 4. c. 17. n. 16. Schüz. V. 1. D. 6. th. 27. lit. E.* Quandoque 3. duobus nam maximis fratribus administratio relinquitur, reliquis, mediante certâ annuâ provisione, aut pecuniae summâ semel pro semper solvendâ pacto promissa, à gubernatione & successionem seclusis. *Iterus c. 13. n. 14;* Aliquando 4. omnes territorium indivisum retinent, & pro indivisò illud possidentes, communi nomine administrant. *Herden in der Grundfest des H. R. Reichs/part. 1. cap. 5. n. 3. p. 40. Limn. tom. 1. addit. ad l. 1. c. 9. n. 96. Generosifs. Dn. à Seckendorff/ im Teutschen Fürsten Staat/p. 2. c. 3. n. 2.* interdum autem etiam hoc casu, uni regiminis ad-

ministrationem, nomine omnium exercendam, committunt, ita, ut in præcipuis, ipsamque Principatus, Comitatus, salutem proximè concernentibus negotiis, reliquorum exigat consensum, nihilque sine illo statuat Dn. à *Seckendorff. d. l. §. 3.* Quibusdam 5. illud regiminis genus placuit, ubi vel Senior, vel duo simul, vel omnes etiam alternis annis, aut productiori longiorive tempore provincias administrant, quæ vicissitudinaria territorii administratio germanicè *eine Muttschierung* / vocatur. *Besold. Thesaur. pract. d. voce. Sprenger. in Ellychnio. pag. 307. Springsfeld. d. Appanag. c. 2. n. 14. seqq.*

## XXXVI.

Ubi Jus Primogenituræ (quod à jure Majoratûs in eo differt, quod hoc integram respiciat Familiam, & solius proventioris ætatis rationem habeat, etsi ea in remotioris gradus ac lineæ Agnato consistat, ita ut vi ejus, ad successionem veniat, qui in familiâ post Possessoris defuncti mortem natu Major est, etsi ex remotiori sit geniculo; illud verò unam saltem lineam, & defuncti Filios, aut pro re nata Nepotes, respiciat, nullamque ætatis aut gradus anterioris rationem habeat. *Jacob. à Saa. de primogenit. n. 48. Goldast. d. majorat. lib. 2. c. 5. Sect. 5. & c. 12. Springsfeld. d. Appanagio. c. 5. n. 8. Betsius c. 8. pag. 461.*) summa ratione subnixum, vid. *Klock. Tom. 3. conf. 182. n. 130. seqq. Joh. Joachim. à Rusdoff. in Vindic. cause Palatine c. 4. & 5.* & hinc tacitâ quasi consensione à plerisque populis, qui non omninò barbari, probatum, ad conservandum Illustrium Familiarum Splendorem, Cæsaris investitura investum, vel consuetudine receptum est, aut pacto vel testamento introductum, publicaque Imperii lege, confirmatum est, (ut in Archi-Ducatu Austriæ, Ducatu Bavarix, Brunsvigo-Lunenburgensi lineæ Wolffenbütt., Palatinatu diversarum linearum, Ducatu Würtemberg, Megapolitano, Landgraviatu Hassiæ utriusque lineæ, Marchionatu Badensi, Ducatu Lotharingiæ, Sabaudix, Saxo-Lauenburgico, Mediolanensi, Florentino, Ferrariensi, Mantuano, Montisferratensi, Principatu Halberstadiensi, Oettingensi, Hohenzollerano, Friisæ Orientalis, in Domo Principum de Lobkowitz, de Nass. w Hadamar, *Stegen & Dissenburg* / in Familiâ Comitum de Hanaw, de Lippe, de Ortenburg,



tenburg, de Montfort, de quibus post Springsfeld. Sprenger. Mylerum & alios *Itter. cap. 12. n. 15. 16.*) aut post hac fortè introducentur, (in quo introducendo hæc vulgò ponunt requisita, 1. ut fiat Ordinum Provincialium consensu. 2. Consentientibus itidem fratribus postgenitis eorumque liberis. 3. Accedente Imperatoris confirmatione, antequàm disponens in vivis esse desierit, & quidem non in forma communi tantùm, sed speciali, i. e. ex certa scientia, præcedente informatione particulari de actu ejusvè circumstantiis necessariò exprimendis, aut inserta primogenituræ forma ipsi confirmationi, factâ. Comitialis Ordinum Imperii assensus præcisè necessarius non est, quamvis utile sit, & eum intervenire, ut præcludatur via omnibus futuris litibus, Myler. *d. Statib. Imp. cap. 21. n. 8.* Betsius. *p. 708. seqq.* Dn. Mauritius *p. 2. consil. 1.* Springsfeld. *c. 5. num. 48. seqq.*) primus in ordine nascendi, & ex gemellis, qui primus in lucem prodit totus, non qui tantùm brachium aut manum exeruit, sive ante, sive post adeptam à parte dignitatem natus sit, vid. Herm. Hermes. *fascic. Juris publ. c. 18. n. 33. seqq.* Schüz. *V. 1. D. 7. th. 10. lit. D.* Itter. *d. feud. c. 12. n. 17. seqq.* eoque ante Patrem mortuo, Nepos ex eo, Patrio suo omninò præferendus (vid. Hottomannus *Illustr. 27. 3. & peculiari Diss. de hac questione.* Arnold. Engelbrecht. *d. Success. in Electoratu ex jure Primogenitura.* Schüz. *d. Diss. th. 12. lit. C. & th. 13. lit. D.* Hermes *d. c. n. 24.* Questel. *d. primogenitura vi. c. 4. th. 42. seqq.*) non modò totam provinciam, sed & illius accessoria, redditus scilicet annuos, fructus pendentes, feras bestias, equos generosos, greges, nomina debitorum, aliaque Provinciæ emolumenta. It. *die Artollerer/ Kriegs: Müstung/* ac quæcunque ad publicam Provinciæ utilitatem, & familiæ splendorem destinata sunt, quò etiam pertinent vasa aurea & argentea, thesauri, vinum & id genus alia. vid. Bocer. *d. success. feudor. c. 3. q. 50. seqq.* Myler. *d. Stat. Imp. c. 21. n. 18. 20.* solus capit; quod jus, quia eò ipsò momenò, quò in lucem venit Primogenitus, cum omnibus singularibus illi nascendi ordini & ætati à natura & lege destinatis juribus, statim acquirit, & ab instanti nativitatis in persona sua intimè radicatum tenet, à Patre ipsi invito adimi, invertique aut minui nequit, vid. Rhetius *d. trans-*

*miss. territor. c. 2. n. 30. Myler. d. Statib. Imp. c. 21. num. 11. 12.*  
 Quamquam ipse Primogenitus huic suæ prærogativæ in secundo-  
 geniti favorem renunciare possit, modò non in alterius quàm re-  
 nuntiantis præjudicium renunciatio tendat. Schüz. *V. 1. D. 7. th.*  
*15. lit. G. Limn. lib. 3. c. 7. n. 33. ibique in addit. Tom. 1. Myler.*  
*d. Statib. Imp. c. 21. n. 13. Engelbrecht. d. tr. th. 91.* Uti autem  
 Primogenitus, non factâ renuntiatione, solus successionis gaudet  
 commodo, ita contra solus quoque debita passiva, quæ Præde-  
 cessores sub nomine dignitatis contraxerunt, solvere. Myler. *No-*  
*molog. c. 14. per tot. ibique allegati.* & fratribus postgenitis, à regi-  
 minis consortio exclusis, præterea de decenti appanagio, ac Soro-  
 ribus de congrua dote, prospicere cogitur, Melchior Palaëz à Me-  
 ris. *d. majoratu p. 1. q. 3. n. 2. Johannes le Cirier de Primogenit. lib.*  
*2. q. 16. n. 2.*

## XXXVII.

Constituitur autem appanagium illud vel in annuâ pensione,  
 vel in prædiis atque provinciis, pro quantitate patrimonii & illu-  
 stris familiæ splendore, aliisque circumstantiis, non per modum  
 divisionis, aut jure legitimæ, ut hinc pars hereditatis, certaue  
 debitæ partis portio appellari queat, & legitimæ quantitatem æ-  
 quare debeat. Cothmann. *vol. 5. cons. 1. n. 168.* sed per modum  
 provisionis de necessariis ad commodam & honorificam, Statui-  
 que suo convenientem exhibitionem, & hinc passim Alimentatio,  
 ac Portio Alimentaria, in vernacula *Fürstl. Gräfl. Deputat,*  
*Fürstl. Gräfl. Unterhalt* audit. Springsfeld. *d. appanag. cap. 1.*  
*Rhetius d. port. alim. c. 1.* Et quamvis Legitimæ, quam partem  
 hereditatis esse constat, quatenus liberis titulo institutionis neces-  
 sariò relinquenda, ipsoque jure naturæ iisdem debetur. Franzk. *d.*  
*d. inoffic. testam. n. 32. Vinn. quest. select. c. 22. Bach. Vol. 1. Diss. 13.*  
*§. 12. C. assimilari, ejusque loco filiis postgenitis cedere dici solet,*  
 post Guid. Papæ, Ant. Capyc. Boërium, Ascanium Clementem  
 & alios Springsfeld. *c. 12. n. 12.* Attamen in illa comparatione  
 legitima tantùm materialiter, sine certo quantitatis ac qualitatis  
 modo, ut necessaria saltem alimenta comprehendit, consideratur,  
 extra illam considerationem legitima formaliter spectata ab ap-  
 panagio multis modis differt. Johann. le Cirier *de primogen. l.*  
*2. q. 16.*

2. q. 16. n. 6. seq. Springsfeld. d. 1. minimèque ad ejus quantita-  
 tem Jure Civili definitam postgeniti provocare possunt, ubi Pri-  
 mogenitus solus in Principatibus, Comitatus &c. succedit, cum  
 in primogeniis illa formaliter sic dicta legitima nequaquam de-  
 beatur, eò, quod qui à successione excluditur, à legitimæ petiti-  
 one quoque excludatur Springsfeld. c. 8. n. 40. & c. 12. n. 17. ibi-  
 que alleg. Ex quo principio tanquam fonte hæc à Dd. deducun-  
 tur consecutaria, quod proinde Appanagium alimentorum instar  
 minimè sequestrari aut arrestari queat, nec executio ob æs alie-  
 num in illud fieri possit, nisi pacto, statuto vel consuetudine aliud  
 receptum aut constitutum sit. Springsfeld. c. 11. n. 259. 260. item  
 quod nullæ ex appanagio exigi queant collæ. Springsfeld. d. c.  
 11. num. 212. nec in eo locum inveniat testamenti factio, vel jus  
 accrescendi, aut successio collateralium, neque illud ipsum per  
 contractum vel actum alium inter vivos alienari aut hypothecari  
 ab appanagiato possit, sed, decedente eo sine masculis, extingua-  
 tur & ad primogenitum revertatur, inveniunt id vel Fiduciæ, ac  
 Peculii nomine, quo possim appanagium insigniri solet. Appella-  
 tiones enim illæ haud obscurè indicant, appanagium illis, quibus  
 concessum, demortuis expirare & reverti eò unde primùm venit,  
 sicut quælibet res ad proprium suum fontem reverti amat, inde-  
 que Patrimonium vadens & rediens dicitur Baldo in l. 3. C. d.  
 bon. qua liber. num. 5. Ac quamvis quandoque Fiducia perpetua  
 vocetur, attamen id haud alia fit ratione, quam quod & ad de-  
 scendentes masculos eorum, quibus primitus fuerit constitutum,  
 transeat, nec prius ad fontem revertatur, quam lineâ eorum in  
 masculis extinctâ, quia eadem exhibitionis & sustentationis ra-  
 tio in iis omnibus obtinet, quæ in ipsismet, quibus primùm con-  
 stitutum, viguit. Finitâ verò lineâ ista masculinâ, & appana-  
 gium ipsò jure finitur ac resolvitur, ita tamen, ut si initio anni de-  
 cesserit appanagiatus, heredibus ejus totius illius anni, cujus ali-  
 quot jam dies appanagiatus transegit, pensio adhuc debeatur, si  
 præsertim appanagium ex testamento oriatur, vi eorum, quæ de  
 legato annuo alimentorum causa relicto in Jure Romano consti-  
 tuta, uti hæc omnia Ampliff. Colleg. Facultatis Juridicæ hujus  
 loci anno currenti Responso in Illustri causa probavit. Cæterum  
 mate-

materiam hanc de appanagio professo studio excoluit B. Mylerus in *Appanologia*, quæ tamen hætenus inedita. Springsfeld. Rhetius & Lyser, *Disp. de Appanagio*.

## XXXVIII.

Defertur passim successio inter Personas Illustres etiam patris successoriis, (quæ inter privatos regulariter, jure præsertim Civili, prohibita) ut, præter experientiam, satis constat ex Causini apud Klock. *Tom. 3. Cons. 150. num. 6.* Merckelbach. apud eund. *Tom. 2. Cons. 17. n. 2. 3.* & *Tom. 3. Cons. 102. n. 130.* Knipschild. *d. fideicomm. c. 5. n. 45.* Hahn. *de jura rerum. concl. 74. 75.* aliorumque testimoniis. Et cui ignotum est famosum illud inter Serenissimos Saxonix Ducis & Hassix Landgravios initum Pactum Confraternitatis, (licet primum ejus initium inter Doctores adhuc sit controversum) in quod postmodum & Marchiones Brandenburgenses recepti sunt, salva conventionione cum Ducibus Pomeranix antè, eundem in finem, inita, vi cujus ipsi Pomeraniam quoque hujus Seculi anno 37. post extinctam Ducum Pomeran. familiam nacti, quod ipsum Saxonico-Hassiacum pactum peculiari Dissertatione illustravit Ben. Carpzov. Plura alia similiu pactorum exempla antiqua & nova adducunt post alios Myler. *de Stat. c. 25. n. 3. 4. 5. 6.* Itter. *c. 17. num. 4. 5.* quorum plurima diu effectum suum jam sortita sunt. Consistit autem vis & essentia talium pactorum in eo, quod duæ pluresve familiæ Illustres inter se conveniant, ut unâ quoad heredes masculos extincta altera superstes in bona & Principatus defunctæ succedat, quæ conventio si Imperatoris auctoritate roborata fuerit, omninò subsistit, vocaturque in vernacula, Erb-Verbrüderung / & à pacto confœderationis Erb-Einigung maximè differt. Nam utut promiscuè verbis: Erb-Verbrüderung und Erb-Bereinigung utantur Betsl. *c. 5. pag. 104. 121.* & *c. 10 p. 688.* Otto de J. P. *cap. 10. pag. 401.* Knipschild. *c. 8. n. 206.* Rectius tamen eadem distinguunt Limn. *l. 4. c. 8. n. 126.* & in not. ad Otton. *d. l. Arum. ad A. B. Disc. 6. th. 6.* Carpzov. *de Pact. Confrat. Sax. Hoff th. 10. seq.* Guttich *de Pact. Confrat. th. 1. l. A.* Differunt namque 1. causa finali; Confœderatio siquidem, die Erb-Bereinigung / immediatè mutux defensionis & auxilii, ubi opus est, præstandi causa initur: Confrat-

fraternitatis verò, Erb-Verbrüderung/ finis immediatus est successio unius paciscentium partis in alterius, quæ prior esse desinit; bonis. 2. Causa materiali sive objectiva, quæ in pacto confœderationis certus auxilii modus belli pacisq; tempore observandus, citra omnem de ditionibus dispositionem. Herm. Fasc. Jur. Publ. c. 14. n. 49. Dicitur namq; Erb-Vereinigung non respectu hæreditatis acquirendæ, sed continuationis in heredes, qui præsumuntur ejusdem esse voluntatis & affectus cum Prædecessoribus; Pacti confraternitatis verò objectum sunt bona paciscentium. 3. Causa formali quatenus ad pacti confraternitatis validitatem requiritur expressus Imperatoris consensus & confirmatio, ad pactum confœderationis non æquè. Hermes d. l. Capitul. Leop. art. 9. & 30. Instrum. Pac. artic. 8. vers. gaudeant &c. Dividunt Dd. communiter Pactum Confraternitatis in Universale, quo de omnibus paciscentium Principatibus, ac universo illorum patrimonio disponitur; & Particulare, quod super certo tantum Principatu aut de certâ Principatûs & bonorum parte initur. Prioris generis est Saxonico-Hassiacum. Posterioris fuit inter Saxonix Duces & Comites Principes Hennebergicos. Estque rursus vel ex utroque latere Universale aut Particulare; vel Universale ex uno, Particulare ex altero, ut Pactum Marchionum Brandenburg. & Ducum Pomeraniæ, Hassiæ Landgraviorum cum Comitibus Catzenellenbogensibus quondam initum. Porro dividitur in Ambilaterale & Unilaterale, quale ab initio fuit Marchionum Brandenburgensium cum Ducibus Pomeraniæ. vid. supra laud. Authores. Prooperandum nobis est ad Obligationes Illustrum.

### XXXIX.

Haud facillè autem quisquam dubitabit, perinde Personas Illustres ex suis promissionibus, pactis & contractibus inter se, vel cum privatis, & subditis etiam, initis obligari, ac conveniri etiam exinde posse, atque privatos, imò quantò excellentiores & dignitate ac auctoritate majores sunt Illustres, tantò etiam constantiores eos in servandis promissis suis esse debere, procul dubio quilibet censebit. Id quod quoque memorabile illud Philippi Hassiæ Landgravii, Magnanimi Principis, apophtegma: *Tres esse notas atque characteres Principis, moneta scil. bonitatem, itinerum securitatem,*

ac in servando promisso fidem, infinuat, & exemplo suo heroico comprobavit Inviectissimus Imp. Carolus V., qui, cum indictis anno 1521. Comitibus Wormat. evocatoque ad illa Megalandro nostro Luhero ad causam suam dicendam sub securi accessus ac recessus fide, à facibus ac tubis quibusdam seditionum instigaretur, ne fidem Luthero datam servaret, sed in eum eodem modo & jure, iisdemque pœnis, quibus ante 100. annos in Joh. Hussum & Hieronymum de Praga, animadverteret, generosè respondit: *Si omnis fides in mundo exularet, tamen eandem apud Imperatorem reperiri debere, nec sine insigni Germanici nominis dedecore Hussu fidem superiori seculo fuisse falsam.* Ne itaque securitas publica Luthero data violaretur, aliquot equitum turmas ipsi adjunxit, quousque salvus & incolumis revertisset. Pertinet huc quod vulgo dici solet, Principes in contractibus jure privatorum uti. *l. de contractu. C. de resc. vendit. c. 1. de probat. Borcholt. lib. 1. Conf. 7. pr.* nec eos ex plenitudine potestatis contractum perfectum infringere aut revocare, nec quicquam eidem etiam vel addere, vel detrahare posse. *Peregrin. de Jur. fisc. lib. 6. tit. 1. num. 10. 12. Vultej. v. 2. Conf. Marp. 24. n. 42. Conf. 25. n. 88.*

## X L.

Tenet hæc obligatio Principes & Illustres, sive sponte sive ex necessitate publica contractus ab ipsis sint initi, ex mente Myleri *Nomolog. cap. 8. n. 4. Rhetii Instit. Jur. Publ. l. 3. t. 2. n. 3.* Nam etsi ex necessitate publica promissa, Principes licitè, ea cessante, iterum infringere posse, scribat Machiavellus *in suo Principe c. 18.* Nec Reges & Principes promissa servare obstrictos esse, si utilitas publica & status ratio aliter suadeat, Statistæ asserant; Hincque Manuel Commenus Imp. monenti Consiliario, ne pactis cum Turcis initis contraveniret: *Parum se ea curare, quæ necessitate promissa essent,* responderit, referente Mylero *d. l.* Attamen laudatus modo Mylerus *cit. cap. 8. n. 9. seqq.* pluribus evincere satagit, quod, cum Jure Gentium absolutè præcipiatur, ut fides data servetur, nec ullum detur vitæ humanæ tempus, nullus gentium status, vel casus, quo fidem datam fallere liceat, quippe quâ abrogatâ omnis humana tollitur societas, ut apud Livium *l. 6. c. 41.* ait Appius, quia fides est supremum vinculum, quo quâ homines sumus, ci-  
tra

tra intuitum patriæ, gentis & religionis conjungimur, quâ violatâ inter gentes societatem dissolvi necesse sit, quia Lex de servanda fide non privatos tantum, sed etiam Gentes & Respubl. obligat, ut Polyb. l. 4. c. 29. habet, adeoque violatio ejus non potest non dissolvere inter gentes societatem; & sic quoque Juris Gentium præceptum sit, servare etiam ea, quæ quis vi bellica coactus pollicitus est, Princeps omninò ea quoq;, quæ necessitate publicâ cogente promisit, servare teneatur, nec pacta aut sponsiones publicas, quas vi metuve hostili, aut aliâ necessitate publicâ coactus iniit, salvâ justitiâ, fide & conscientiâ violare vel rescindere queat, sub prætextu & colore, quasi id, quod per vim metumque hostium actum, ratum esse non debeat, præsertim si talia pacta, fœdera & promissa, ut plerumque fieri solet, corporali juramento firmaverit ac corroboraverit, quod latius discussit prælaud. Myler. d. c. 8. & seq. 9. per tot. vid. tamen Instr. Pac. art. 4. §. 46.

## XLI.

Contractus inter alia dividi in bonæ fidei ac stricti juris contractus & tyronibus juris nostri notissimum est, quæque inter species illas sit differentia specifica iisdem quoque haud incognitum est. Num autem hæc distinctio usum locumque inventura etiam sit in Principum ac Illustrum personarum contractibus, sive inter se sive cum privatis initis, forsan ambiges, cum haud pauci magni nominis Jcti reperiantur, qui quoscunque cum Principe initos contractus b. f. esse asserunt, licet alias stricti juris forent, si à personis privatis invicem inirentur. vid. Nicol. Mozzius de contract. art. 4. n. 26. ubi in eam sententiam allegat Decium, Decianum, Rolandum à Valle, Marq. de Susannis, Baldum & alios, subjiciens, idem etiam de contractibus coram Principe tantum celebratis statuere post Baldum, Jasonem & Plotum. Prius etiam probat Udalr. Zas. lib. 1. Conf. 14. n. 43. Joh. Borcholt. l. 1. Conf. 7. pr. Hartm. Pistor. l. 4. q. 7. in Conf. annexo num. 8. & hos allegans Myler. Nomol. cap. 2. n. 2. Sed de utriusque asserti veritate non sine causa dubitamus, cum à ratione juris nostri planè alienum sit, contractus pro conditione & qualitate subjeçti contractentis, vel loci, ubi contractus celebratur, naturam suam mutare, & aliam atque aliam induere formam. Non magis igitur hi audiendi,

diendi, quam qui divisionem illam Jure Canonico aut certè moribus hodiernis sublatam, nec æquitati naturali satis convenire existimant, contra quos meritò infurgit Celeberr. Struv. *Ex. 46. lib. 75.*

## XLII.

In prolubio Principum Illustriumque Personarum quidem est, velintne in scriptis vel sine scriptis contrahere, nec absoluta necessitate adstringuntur conventiones, pacta & transactiones suas in scriptis præcisè facere; Ita enim eosdem coarctare, ut non aliter, quàm in scriptis contraherent, detraheret quodammodo Illustri ipsorum dignitati. Quia autem quando inter se paciscuntur aut transigunt Principes, alique in Illustri dignitate constituti, non de filicidio aut glande legenda saltem, sed plerumque de Ducatibus, Principatibus, Comitatibus, de Regalibus Juribus, aut aliis summi pretii, maximique momenti rebus, & quidem communiter ferè per Legatos agunt, hinc ut plurimum in scriptis negotia h. e. pacta, transactiones, confœderationes, eorum fiunt, juxta notoriam Praxin & usum Imperii, quippe secundum quem in dubio in causis ejusmodi arduis non alia forma aut via electa censetur. Quantumvis igitur una vel altera pars mentem suam per literas tractationis alteri significaverit, acceptationem vel recusationem ejusdem desuper expectans, non tamen antequam ea, quæ placuerunt, ultimam suam perfectionem acceperunt, ulla inter eos constituta intelligitur obligatio, ex qua alterutrius ante subscriptionem defuncti Successores efficaciter tenerentur ac conveniri possent. Quæ enim utrinque in tractatione fiunt oblationes, tractatus præambuli sunt, *Cothman. vol. 1. Conf. 4. n. 14.* sunt propositiones voluntatem antecedentes, actus oblativi, *blösse Fürschläge*/ assertiones explicantes animum de futuro, qui nunc est, quibus nullam nobis imponimus necessitatem in ista animi destinatione perseverandi, ut cum *Frantz. tit. de pact. n. 24.* *Grot. J. de J. B. & P. 11. num. 2.* *Puffendorff. III. de J. N. & G. 5. n. 5.* tradit Nobiliss. *Do. D. Bardili Diss. de Subscript. cap. 6. num. 17.* hinc concludens, quod proinde illis nulla de præsentis insit obligatio, sed ea tum demum nascatur, si accesserit acceptatio, eaque promissori innotuerit, & subsequuta deinde quoque sit à partibus Illustribus



lustribus instrumenti omnibus numeris absoluti per subscriptionem ac subsignationem facta confirmatio per l. 17. C. de fide instrum. & tradita Welenbecii Conf. 106. q. 1. Idque eò magis obtinere, quando Illustres contrahentes in literis tractationis expresse mentionem fecerint futuri Recessus, daß über solche Handlung ein ordentlicher Recess aufgesetzt werden solle / aut in medijs tractatibus dixerint: Sie wolten solches in ein Recess bringen lassen / vel Sie wolten auff ein Concept endlicher Verabscheidung oder Richtigmachung bedacht seyn / tum enim eos nullâ ratione dici posse obligatos esse, antequam hoc factum fuerit, quia perfectio contractus in ipsa conclusione & ultima clausula consistit. Hartm. Pistor. lib. 3. qu. 27. n. 15. vid. omnino Excellentiss. Dn. D. Bardili, d. l. Consideravit hæc ita in Illustri causa consultum Amplissimum Collegium Facultatis Jurid. Illustris hujus Eberhardinæ & de Jure respondendo approbavit anno superiori, uti à Dn. Praeside percepi.

## X L I I I.

Quoad concipiendas & formandas obligationes hoc quoque memoratu dignum & hîc inferendum judicavimus, quod obligatio sub pœna banni concepta sit invalida, quando nim. debitor se ad solutionem pecuniæ creditæ sub pœna banni Imperii obligavit, ita, ut caverit, quod si juxta conventionis placita pactis non steterit ac solutionem congruo loco & stato tempore fecerit, Judex Cameræ Imp. facultatem habere debeat Processum ab executione inchoandi, ipsumque velut confessum ac legitime condemnatum in bannum Imperii declarandi. Gail. de P. P. cap. 2. Nam tamen si ejusmodi obligationes ob consensum partium valere velit Gylmanus tom. 3. voc. Executoriales. vers. an debitore, &c. allegans præjudicium ubi Executoriales sub pœna banni emanarunt. Atamen Gailius d. l. n. pen. tria contraria præjudicia pro confirmanda sententia sua allegat, quam veriorum judicat, moribusque hodiernis receptam testatur Blom. Proc. tit. 34. num. 87. ubi num. seq. etiam de Obligationibus sub pœna obstagii post annum 1577. conceptis idem pronunciat, secus esse inquit in ante illum annum formatis & erectis.

## X L I V.

Utu ab antiquissimo jam tempore invaluit, ut Regum ac Principum

cipum absolutorum simplex fides par reputata fuerit juratæ pri-  
 vatorum assertioni ac promissioni, deducente & exemplis id illu-  
 strante B. Dn. Mylero *Nomol. cap. 6.* Extensum hoc postea etiam  
 est ad Principes & reliquas personas Illustres S. R. G. Imp., ita, ut  
 in vulgatam abierit regulam, quod Promissio sub fide Principali  
 sit loco Juramenti, sive quod si Princeps, Comes, Baro aliquis,  
 bey Seinen Fürstl. / Gräflichen / Freyherrlichen Treuen und  
 Glauben / bey Fürstl. Gräfl. Ehren und Worten / quid promi-  
 serit, promissio isthæc vim & effectum Juramenti realiter præstiti  
 habeat, juratæque à privatis factæ promissioni æquipolleat. vid.  
 R. I. de Anno 1555. §. Und da ein Chur-Fürst / re. 58. ibi: die so  
 Fürstl. Stammens und Wesens / bey Versprechung und Zusag  
 Ihrer Fürstl. Würden und wahren Worten gelassen / aber die  
 andere über obgemeldts einen leibl. Eyd schwören / re. Gail. 2.  
 O. 59. Bartschamp. *rad. claus. cap. 31. §. 2.* Besold. *voc. Treu und  
 Glauben.* Myns. *1. O. 17. ibiq;* Arnold. *Reyger. Meichner. t. 1. dec.  
 Cam. 12. n. 6.* Klock. *vol. Camer. Relat. 3. n. 130.* Ern. *Cothmann.  
 vol. 1. conf. 19. n. 123.* & quos magno numero in eam opinionem  
 allegat, sequiturque Myler. *Nom. cap. 6. sect. 1. n. 13. 14.* qui ean-  
 dem pluribus rationibus firmare ac ab aliorum impetitionibus vin-  
 dicare satagit *d. sect. 1. §. 2. n. 17. 18.* extendens quoque illam ad  
 Nobiles Imperii sub fide Nobilitatis bey Adelichen Treuen und  
 Glauben / oder Adel. Ehren aliquid promittentes *n. 19.* Hocque  
 assertum brocardicum in tantum verum esse contendit *n. 20. 21.*  
 ut 1. promissio Principis, aliusve Illustris aut Nobilis personæ sub  
 fide veri Principis, Comitis &c. facta, velut jurata promissio, in-  
 tercedenti pro alio aditum ad beneficium ordinis seu excussionis  
 intercludat, ne Princeps &c. honestè petere possit, ut debitor prin-  
 cipalis prius excutiatur, cum Hering. *de fidejussor. cap. 27. p. 1. n.  
 299.* *Surd. dec. 234. §. ibid. Hodierna n. 3. 2.* Ut eandem vim  
 habeat fides à Principibus, Comitibus, &c. per manuum conjun-  
 ctionem data *c. ad aures. X. quod vi met. causa, §. 3.* Idem etiam  
 alii quoad reatum & incurrendam pœnam perjurii obtinere vo-  
 lunt juxta *l. 41. C. de transact.* in casu contraventionis, si nim. quod  
 ita sub fide Principis promissum non servetur ac præstetur. vid.  
 Ant. Matthæi *de crimin. lib. 47. tit. ult. c. 1. n. 4.* Hier. Schurff. *c.  
 2. Conf.*

3. *Conf. 62. n. 12. Fichard. vol. 2. conf. 31. n. 14. Surd. d. Dec. 234. n. 5. Richter. ad cit. l. 41. C. de transact. n. 17. seqq. ubi quoque ita Colleg. Jurid. Jenense respondisse testatur. A quorum tamen sententia non immeritò recedit laudatus Dn. Myler. cit. loc. num. 32. cum allegato Bologneto ad d. l. 41. n. 60. quia non committitur perjurium, ubi non præcessit divini nominis obtestatio sive invocatio, quæ dein contemnitur ac violatur, sive ubi non contravenitur Juramento corporaliter præstito cum formali invocatione DEI in testem & vindicem ac ultorem, si promittens fallat; diversaque sunt præstatio fidei & præstatio Juramenti. c. commissum. X. de sponsal. Nec ista promissionis per fidem Gentilitiam ac Juramenti æquiparatio in universum, ultra observantiam, ad pœnam & perjurium extendenda, sed in illâ subsistendum. c. 1. de jurejur. j. c. Odia. de R. 1. in 6. Hahn. de jurejur. n. 6. Frantzk. ibid. n. 26. Hinc in casibus & causis, ubi lex, consuetudo vel pactum ab Illustribus personis corporale Juramentum exigit, tales asseverationes non sufficiunt, sed ad præstandum formale Juramentum adstringuntur. Frantzk. d. l. n. 28. 29. Ruland. de Commiss. p. 2. l. 2. c. 11. n. 45. seqq. Græven. l. 2. concl. 59. n. 3. Tabor. ad Coll. Jur. Arg. l. 12. t. 2. §. 14. n. 7. Zepper. dec. Illustr. mater. tit. 4. n. 27. Rauchar. l. 2. q. 2. n. 87. Sic constat non modò Electores S. R. G. I. antequam ad novi Imperatoris sive Regis Rom. electionem progrediantur, corporale Juramentum, admotis pectori manibus ab Ecclesiasticis, à Secularibus v. tacto manibus S. Joh. Evangelio ob majorem religionem, sibi invicem de idoneo Populi Christiani Capite temporali eligendo præstare, vigore A. B. cap. 2. sed & ipsum electum Imperatorem vel Regem Rom. dein similiter tactis SS. Evangeliiis solenne & formale super Capitulatione firmiter observanda Electoribus dare Jusjurandum, & iteratò in Coronatione corporali Juramento promittere, se fidem Catholicam sancte servaturum, Ecclesiam protecturum, Justitiam administratorum, Imperium aucturum, Viduas & orphanos defensuram, Leges & Privilegia facta tecta conservaturum, &c. Gothofr. de Jena de Elect. Imper. Diss. 5. §. 2. l. C. §. 19. add. Ipsa clausula Capit. Imp. & in specie Augustis. Imp. LEOPOLDI, verb. Solches alles und jedes/ wie obstehet/ haben wir obgedachter Röm. König den gedachten*

dachten Chur- Fürsten vor Sich und im Namen des H. R. St. geredt / versprochen und bey Unserer Königl. Ehren / Würden und Worten / im Namen der Wahrheit zugesagt / thun dasselbe auch hiermit und in Krafft dieses Brieffs / in massen wir dann das mit einen leiblichen Eyd zu Gott und dem Heil. Evangelio geschworen / dasselbe steth / fest und unverbroschen zu halten / &c. Ita porro omnes Imp. Principes & Illustres Vasalli in Investitura- rum receptionibus corporali Juramento se ad fidem Imperatori & Imperio præstandam adstringunt.

## X L V.

Ejusmodi solennibus & corporalibus Juramentis etiam sæpius inter Reges, Principes, aliosque Illustres iæta fœdera, Pacificatio- nes & Pacta Gentilitia ultra subscriptionem & appensionem sigil- lorum utriusque ea pangentis partis confirmari solent, quod si non præcise necessarium, cautius tamen tutiusque omninò esse censet Myler. d. l. n. 25. seqq. quia apposito Juramento cautior & diligen- tior fit animus, à duobus tum sibi cavens, ne nim. lædat amicos, nec secundò peccet in DEUM.

## X L V I.

Sic & si Princeps vel alia Illustris persona in Judicio Actoris aut accusatoris vel testis personam agit, æquè ut privatus, ad ple- nam in Judicio obtinendam fidem debita Juris solennia mediante corporali Juramento præstare tenetur. Nam etsi alias simplex Principis aliusve Illustris Personæ verbum & assertio tantum va- lere dicatur, quantum privatorum hominum Juramentum & sa- cramento firmata attestatio, imò Principis, Comitum, &c. dicto ci- tius quam aliorum privatorum Juramentis fidem habendam esse velit Setser. de Jurament. l. 1. c. 16. n. 6. ob maximam, quam, pro- pter dignitatis suæ lucem personarumque suarum excellentiam, præ se habent præsumptionem candoris, virtutis, integritatis & lega- litatis, ob quam in specie non minus Principum, Comitumve Imp. nostri, quàm aliorum absolutorum Regum & Principum assertioni ore vel scripto factæ plenam fidem pluribus adstruit, Myler. No- mol. c. 1. n. 7. seqq. varia hinc in seq. cap. deducens consuetaria, interque ea plures non minus utiles sæpè obvientes, quàm ele- gantes & jucundas discutiens quaestiones v. gr. *An Principis Imp. asser.*

assertioni in literis vel investituris contenta de benemeritis & servitiis Consilarii, absq̄, alia meritorum probatione, & sine aliis adminiculis, plenè credendum? quam superiori modo anno Amplissimo Collegio Facult. Jurid. Illustris hujus Eberhardinæ in causa quadam obvenisse percepi. Item An Princeps vel Comes Imp. Consiliario, ob propriam benemeritorum contestationem, aliquod privilegium vel Jus aut beneficium in remunerationem meritorum concedens, illud temporis successu revocare & Consiliario suo adimere possit? Et illud ulterius seq. capite 3. & 4. non minus doctè, quàm distinctè, magna sollicitudine declarans. Attamen quantum ad judicialia & quæ in Judiciis versantur, aliter rem sese habere, nec hîc magnum in probationis puncto inter Illustres & alios discrimen esse, ipsemet agnoscit, & tum ex divino, tum civili ac Canonico, nec non Gentium Jure probat cap. 5. per tot.

## X L V I I.

Cum hic in Judicialia inciderimus, subinde notamus, esse tamen in aliis quoque sua Principibus, aliisque Illustribus Personis, immediatè imprimis Imperio subjectis, peculiaria ratione Judicis & Judicij Jura, ut 1. quod vi antiquæ consuetudinis Legibus Imperii fundamentalibus comprobatae extra limites Germaniæ in Jus vocari non possint ac debeant. Crantz. lib. 10. Saxon. c. 39. O. C. p. 2. t. 7. Capit. Ferdinand. II. art. 13. Ferdinand. III. art. 17. IV. art. 15. Leop. art. 18. Limn. IV. 8. n. 87. ubi Electorem Brandenburgicum & Comitem Palatinum Neoburgicum in causa Juliacensi citationem quandam à Judicio Aulico emissam ex hoc capite, quod Pragam extra Germaniam evocati essent, nullitatis accusavisse, eoque forû declinare conatos fuisse refert, quos Anonymus aliquis succenturiavit, in scripto quodam inquit: *Ob wol Prag ein Ortß im Reich / ist es doch im Reich Teutscher Nation nicht gelegen / Daher sich die Kayserl. Majest. nie unterstanden / dahin ein Reichs-Tag zu legen / oder streitende Partheyen zu vertagen / dessen Ihre Majest. ausserhalb dem Reich Teutscher Nation auch nicht befugt.* Sed Imp. Rudolphus II. iisdem in particulari responso contradixit hisce: *Ihre Majest. wolten nicht gerne / daß in Disputation gezogen werden solte / ob die Cron Böhme ausser oder inner dem Röm. Reich gelegen sey / Ihrer Majest. Verfahren hätten*

hätten ihre Residenz und Hoff-Lager in Böhmeim gehabt / und das Kayserthum in und von der Cron Böhmeim auß administrirt / jedoch dergleichen von niemand ichts dawider erzeget worden / wie auch dasselbe von Rechts wegen nicht beschehen könnte / *re. Quam sententiam usus confirmavit. Posthac enim læpius compertum est, Judicium Aulicum Pragæ, quo proficiscentem Imperatorem comitatum, (ut moris, v. Ord. Jud. Aul. Ferdinand. III. tit. 1. §. 10. & tit. 7. §. 4. Uffenbach. de Jud. Aul. cap. 7. s. 2. subsect. 1. n. 21. pag. 46. & cap. 13.) Jus dixisse. Hoc enim loco lata est illa sententia, quæ Marchionem Onolsbacensem cum Præsule Herbipolensi de Civitate Rixingen litigantem in mora fuisse pronunciavit, quo minus intra præscriptum tempus lis finita, adeoque illi perpetuum de illa causa imposuit silentium, cui quidem victa pars multis argumētis contradixit, sed illud tamen non legitur opposuisse, quod extra Germaniæ limites pronunciata esset. Jus verò istud de non evocando extra Imp. Germanici fines hodie omnibus Imperii subditis est commune, Ord. Cam. p. 2. t. 1. Cap. Leop. art. 3. & 18. itaque quo Jure nuper Pontifex Rom. postulaverit, ut ab Electore Coloniensi, ejusque Administris & Officialibus, ut vocant, Leodiensibus in posterum neutiquam ad Camerale Imperii vel Aulicum Imperatoris Judicium, verum ad Inter-Nuncium Pontificium, aut ad ipsam Sedem Romanam, appellari & provocari deberet, ac hinc Advocatos, Nuncios & Procuratores Jurisjurandi fide de non appellando ad Judicis Laicos (uti ad Judicium Imperii Camerale & Aulicum Imp.) adstringendos voluerit, haud videmus. Refragantur enim hæc Pontificis molimina apertè toties publicatis Edictis Imperatorum. vid. Imperatoris Maximiliani Edictum wider des Pabsts angemachte Jurisdiction im Röm. Reich ap. Goldast. tom. 1. der Reichs-Satz. p. 179. R. I. noviss. de Anno 1654. §. als sich demnach / *re. 164. Limn. l. 2. c. 9. n. 101. qui mulctam 100. marcarum auri puri, in quam quidam Anno 1512. d. 20. Febr. ob interpositam ad Pontificem appellationem condemnatus, Ordin. Cam. p. 3. t. 51. statutam scribit, Uffenbachius autem Ord. Cam. p. 3. tit. 2. adducit laud. tr. cap. 23. sub fin. p. 272. sed neutribi pœnam illam determinatam reperies.**

## X L V I I I.

Habent 2. Principes Imperii hoc eximium Jus, ut eorum Procuratores fisci ex usu Judiciorum approbato non cogantur jurare de calumnia teste Gailio 1. O. 90. n. 4. Myns. 1. O. 74. Klock. tom. 3. Conf. 193. n. 41. seqq. Rhoding. Pand. Cam. lib. 3. tit. 30. in addit. in f. Eximit quoque Noviss. Imp. Recept. §. über die Verordnen wir ꝛ. eorundem Consiliarios à necessitate præstandi corporalis juramenti calumniæ. Sed vid. Mev. p. 5. dec. 237. ubi tradit, præcipuos Principum Consiliarios & Ministros circa regimen Provinciarum occupatos *die Regierungs Rath* / à Juramento calumniæ minimè exemptos esse, ut egregias personas tamen non publicè jurare; forsàn de casu, ubi proprio nomine litigant, accipiendus. Add. Idem p. 3. dec. 191. ubi quærit de Principum Officialibus sive Præfectis, an illi immunitate isthac etiam gaudeant, quod non cogantur de calumnia jurare? quod negat, nisi similis reperiatur necessitas, quæ eos ab omni suspitione liberet, qualis in Procuratore fisci Cæsarei, de quo intelligit, Gail. d. l.

## X L I X.

Judex Principum Imperii, aliorumque Illustrium immediatè Imp. subjectorum qui sit? latè discussit Dn. Præses in sua pro loco habitâ Diss. de Foro Personarum Illustrium immediatè Imp. subjectarum, ex qua magna discussionis illius pars novissimæ Editioni Ipsius Introductionis in Jus Publ. jam inserta extat, adedque nunc eâ operâ, quæ argumento huic enucleando impendenda erat, supersedere jure possumus, maximè cum temporis penuriâ & chartæ angustia alioquin excludamur. Ostendit autem ibidem pluribus Dn. Præses in causis criminalibus, ut & Feudalibus, lite inter duos Imp. Vassallos de feudo Imp. titulato vertente, Judicem esse Imperatorem cum adscitis in Consilium quibusdam Imp. Principibus; In causis matrimonialibus Catholicorum Judicis Officium sibi arrogare Pontificem, in Evangelicorum verò causis matrimonialibus quis sit Judex ferè dubium esse; In Civilibus eos primam instantiam habere coram Austregis Conventionalibus vel Legalibus, à quibus deinde pars se gravatam existimans per illorum sententiam, vel ad Cameram Imp. vel Judicium Imp. Aulicum, pro lubitu, provocat, nisi altera pars, quæ vicit, habeat Privilegium Electionis fori, vi cujus

ipsi competat potestas pro commoditate suâ alterutrum ex istis Judiciis, quod lubet, eligendi; sicuti id privilegium, vi Instrumenti Pacis art. 10. §. *Deinde concedit, &c.* habet Rex Sueciæ, quatenus ut Dux Bremensis, Verdensis, Pomeraniæ, vel ut Princeps Rugiæ, aut Dominus Wismariaë convenitur, nec non, vi specialis concessionis à Ferdinando III. anno 1648. die 24. Novembr. factæ, Duces Brunsvigo - Lüneburgenses, ita tamen, ut ille intra tres, hi verò intra duos menses à die factæ requisitionis proximos, sese declarare debeant, ubi adversario respondere velint. Dicit quidem B. Dn. ab Uffenbach. *tr. de Jud. Aul. cap. 5. pag. 14.* etiam Ducibus Brunsvic. competere hoc privilegium eâ conditione, ut perinde ac Reges Sueciæ declarationem intra 3. menses à die denunciatae litis faciant; sed repugnant expressa Privilegii verba: **Innerhalb zwey Monathen von angefügter Requisition anzuzurechnen / &c.** reclamat dein res judicata ap. Blum. *tit. 46. n. 259.* cujus ipse Uffenbach. *d. l.* quoque meminit.

## L.

Ex quibus hætenus deductis sole meridiano clarius apparet, multo majorem & excellentiorem esse dignitatem eorum, qui hodie, post Imperatorem etiam, Illustrium nomine in Imperio nostro Rom. Germanico veniunt, longeque alium eorum esse Statum & conditionem, quam fuit illorum, qui in antiquo Imp. Romano Illustres audiverunt. Unde multo Illustriora etiam sunt Jura, quæ hodiè competunt Illustribus Imperii nostri, quam quæ Illustribus illis Romani Imperii competiere. Gravissimè igitur hallucinantur, qui Electores, Principes, cæterosque Status Imp. nostri Præfectis Prætorio, Præsidibus ac Prætoribus Romanis comparant, iisque substitutos dicunt, quorum magnum catalogum texit Myler. *Archolog. Ordin. Imp. cap. 23. num. 1.* Nam si quis Imperii nostri statum secundum Leges Imperii fundamentales examinaverit, oppidò deprehendet, Principes & Ordines Imper. nostri multis parasangis Præfectos Prætorio, aliosve Romanos Magistratus Majores superare, iisve rectè accommodari posse illud, quod de Lydorum Rege Cræso Justinus ait: *Eum si non Regiam, Regiæ tamen dignitati proximam egisse vitam.* Enimverò Principes ac Status Imp. nostri Præfectos Prætorio, similesve Magistratus ac Judices



dices apud Romanos longissimè superant, tum respectu patrimonii, officii & commissæ administrationis, tum ratione dignitatis, tum intuitu potentia & Imperii, Juriumque ejus, quod tum ex dictis ac deductis patet, tum pluribus ostendit laudatus Mylerus, d. l. ad quem B. L. remisisse nobis in præsentiarum sufficiet, qui, postquam in tot paginas præter opinionem excrevit Disputatio, & instans iter abruptionem urget, receptui canentes devotas DEO solvimus grates pro uberrimâ ejus gratia, quâ nobis hætenus adstitit, & nos in viis suis duxit, quod, ut & porrò faciat, Divinum Ipsius Numen supplices rogamus ac veneramur.

SOLI DEO GLORIA.

I.

*Ad Generosissimum & ad quævis Præclara Natum*

DN. à BOSEN,

*Ad Summa provectorum Studiorum Jurisprudentia*

Specimen Solenne

*Cum applausu Exhibentem.*

**S**cilicet haud vili mens delibet ignea glebâ,  
Tollitur & lucem fundit ubique suam.  
Sic Te perdocto Talem nunc asseris Orbi,  
Et pandis laudis splendida signa Tuæ.

*Honoris causa f.*

BURCKHARDUS BARDILI, D. P. P.

II.

**Q**ui tenebras propter Studium præclarus amasti,  
Jam profers nobis Nobile, teste die.

P 3

Hinc

*Hinc es, eras & eris gnarus, Rarusq; futuro  
Tempore, perpetuo Jure manebis Idem.*

*Principis idq; magis quia Strenua Jura movebas,  
Quis dubitat, Summis Te placuisse Viris?*

*Perge bonis avibus, vel Avis, Atavisq; ciere*

*Gaudia: Sic quoq; post funera vivet honos!*

Ita Generosissimo DN. à Bosen / Fautori suo

Colendissimo, de Privilegiis & Juribus Singu-  
laribus Personarum Illustrium Singulare planè  
& Illustre Specimen edenti, de arduis Studiorum  
conatibus alacriter susceptis, feliciter exantlatis  
animo & calamo toto applaudebat, benivo-  
lam sui memoriam commendans

P R Æ S E S.

I I I.

**S**Axonicae Gentis Splendor, Patriae decus ingens  
Stirpis, & ingenuae Nobilitatis honor

**BOSENI**: Musas Generi qui jungis, & artes  
Majorum ceris addere cui volupe est:

**ELECTOR** Princeps tantus quem gaudet habere  
Civem, sive Aula hunc, Curia sive petit:

Lipsia quem coluit, Studiis quem clara Tubinga  
Extulit, & Virtus quo placet ipsa sibi:

Cui priva Illustres debent, Illustria fata  
Te peregre expectent, te maneantque Domi!

*Ex voto*

JOH. ULRICI PREGITZERI, D.

I V.

*A Monsieur BOSE,*

Sur le grand et heureux succès qu'il a eu dans sa Dispute

**T**émoins de vos travaux, & de votre victoire,

*Vos Compagnons & vos Amis,*

*Dont les Noms icy bas sont mis,*

*D'un*

D'un cœur & d'une voix, Nous chantons votre Gloire ;  
 Si des forts Arguments, le vray nœud Gordien,  
 Par vos solutions, vous denoüez si bien,  
 Qu' à vos raisonnemens il faut bien tost se rendre,  
 Lors que dans les Conseils vous vous distinguerez,  
 Que ne devra - t. on point de vos discours attendre,  
 Comme de vôtre bras, quand vous éprouverez,  
 Votre courage & votre adresse,  
 Dans les occasions de bravoure & d'honneur,  
 Ou déjà votre noble ardeur,  
 De vous bien signaler vous presse,  
 Amy, Sage & sçavant, si chery de Nous tous,  
 Qu' à vous bien conserver vôtre humeur s'accoutume,  
 Car on voit peu de tels Hommes que Vous,  
 Qui soient au poil comme à la plume,  
 Vivez long temps, vivez heureux,  
 Pour y contribuer, Nous joignons tous nos vœux.

C'est ainsi qu' applaudissent au merite & à la ca-  
 pacité de Monsieur BOSEN

Les Cavaliers du College Illustre & leurs  
 Gouverneurs.

*A luy même*

A l'occasion des Dames qui honorerent sa  
 Dispute de leur presence

**D**essus vos Opposans vous eûtes la victoire,  
 Devant un trop Illustre & brillant Auditoire,  
 Pour qu'il soit grand besoin d'en parler tant icy ;  
 Quand vous n'auriez d'autres Trompettes,  
 Que les Dames qui lors s' y trouverent aussy,  
 Bien que sur vôtre These Ellessoient fort secretes,  
 Dessus vôtre merite il n'en est pas ainsy,  
 Car Elles n'y sont pas muëttes :  
 Partant, de vous louer, laissons lez. lez.

*Vos rares Qualitez quelque grandes soient elles,  
Ne passeront jamais par des Bouches plus belles.*

☼      ☼      ☼  
Addition pour l'Auteur.

**P**eut être j'en dirois, si je me voulois croire,  
Autant ou plus qu' aucun autre n' en dit,  
Mais pour publier vôtre Gloire,  
Je suis trop foible & trop petit,  
Et vous êtes un trop grand Homme,  
C'est pour quoy je me tais, & point je ne me nomme,  
De sçavoir qui je suis n'importe pas beaucoup,  
Je me cache en la presse,  
Après avoir tiré mon coup,  
Puisque de vous louer tout le Monde s'empresse.

F I N I S.







TK 1960

ULB Halle 3  
004 756 07X



WMA

WMA








JUL

Dn. u.

Eq.



EO

GIIS

SINGU-

NARUM

IO

WEDERI,

Eberhardinâ

Eq. Misn.

USTRI,

dr.

ICI REIS,

I.

